




Gillioli
Propugn.
Nat.
Inclinat:
8.
1
6









ANIMÆ RATIONALIS SEPARATÆ

Naturalem inclinationem ad Corpus informandum probat, & tuetur

IO: THOMAS GILIOLVS

In Patauino Lyceo Philoſophus Primus.



[s] Proba materia est si probum adhibebo fabrum. s Plautus in Pænulo

Non sine spe victoriæ, ad quam cum duæ sint viæ, docente [t] *Nazianzeno violentia, & persuasio, ego priorem illā abhorrens conabor auctoritatibus, & rationibus posteriorem consequi; vt ita persuasus, lector assentiatur* [u] *D. Augustino dicenti*, non est bonum hominis hominem vincere, sed bonum est homini vt eum veritas vincat volentem, quia malum est homini, vt eum veritas vincat inuitum: nam ipsa vincat necesse est siue negantem, siue confitentem. t orat 2 contra iulianū u epist. 174

Recte etiam dixit [x] *Demosthenes* veritas est potens contrariū infirmum, & [y] *Lactantius*, veritas sua propria vi valitura; *Sed rem ipsam auspicato aggrediamur cum præcepto, & obseruatione, de qua Lucretius.* [z] Nam nihil egregius quam res secernere apertas A dubijs x orat. de falsa legatione y de opificio Dei. z lib. 4.

Nimis te moror lector

Quid verba quæro? Veritas odit moras. Seneca in oedipo.

Opus

Opus vltrascriptum Excellentiss. D. D Ioan Thomæ Giloli Philosophi primæ Cathedræ in Gymnasio Patauino, cuius titulus est Propugnatio Naturalis Inclinationis; *& initium* Celebris, &c. *finis*, soluit, *cartarum in folio* 66. *fuit. Pro Impressione Paduæ visum, & approbatum; cum nihil contra bonos mores, nec contra fidem Catholicam contineat, & in fidem, &c. Die* 28. *Augusti* 1635.

Ita est, Fr. Ant. à Lendenaria Inquis. Gen. Paduæ.

1635. Adi 3. di Settembre.

Gl'Eccell. Signori Reformatori dello Studio di Padoua veduta la sopradetta fede del R. P. Inquisitore di Padoua, & attestato dal Reuerendiss. Monsig. Gasparo Lonigo, che nel presente libro non vi è cosa alcuna contro la Santa Fede Catolica, Prencipi, & buoni costumi, concedono licenza della stampa.

Vincenzo Capello Proc. Ref.

Zuanne Nani Proc. Ref.

Gierolimo Cauazza Sec.

S E

IOANNIS THOMÆ GILIOLI PERVSINI

Olim in Patrio Gymnasio

NVNC IN PATAVINA ACADEMIA

Philosophiæ Ordinariæ Interpretis Primarij

PROPVGNATIO

Naturalis inclinationis, quam post hominis interitum anima rationalis separata habet ad corpus suum, & ad reiterandam cum illo vnionem.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.

III. VIROS

Patauini Gymnasij Moderatores.



PATAVII, Typis Iulij Criuellarij, & Iacobi Bortoli.

Superiorum permissu. MDCXXXV.

ILLVSTRISSIMIS
ET EXCELLENTISSIMIS
III VIRIS
Gymnasij Patauini Moderatoribus

VINCENTIO CAPELLO }
IOANNI NANIO } D. Marci Procur.
ANGELO CONTARENO Equiti.

Dominis suis Colendissimis

Io. Thomas Giliolus F. P.



YRVS Persarum Rex, pacis etiam tempore, sine hoste, milites suos, amicitiæ nexibus inuicem maxime constrictos, ludicris certaminibus ad præliorum speciem efformatis, & simulatis velitationibus exercebat. Alter etiam Cyrus, minor appellatus, Græcos interdum cum Barbaris iussit congredi, non ad hostilem internecionem, sed ad virtutis experimentum, & studium ęmulationis,

Profecto magna semper fuit ęmulationis vis, & vtilitas; quare Plutarchus, hoc inquit, ostẽdit histrionum, & cantorum concertatio, qua orta aduersus alios non se ipsos modo; sed & instrumenta sua, maiore cum diligentia, ad certamen aptare, fides explorare, accuratissime concentum instruere, & tibijs canere consueuerunt. Notum est quanta animi molestia angeretur Themistocles, & quanto ardore ad maiora perpetranda se excitaret propter laudatas Miltiadis victorias, & trophæa. Bruta etiam animalia tangit aliquando acutus huius affectionis stimulus; quocirca Ouidius.

Tunc bene fortis equus reserato carcere currit
Cum quos prætereat, quosq; sequatur habet.

Tolle certamen, inquit Lactãtius, nec virtus quidem quicquam est. Hoc in me ipso expertus sum occasione huius controuersiæ, quę ex disputationibus publice habitis orta est. Hęc Dominum Excellentiss. Collegam meum impulit ad scribendum de *Varia Animæ rationalis propensione ad corpus*, Mihi vt responderem persuasit; non glorię captandę, sed veritatis inuestigandę studio. Amica non hostilis conten

tio,

tio, quippe quæ Philoſophica; ad imitationem antiquorum Sacerdotum qui, referente Plutarcho, fel exemptum à victima abijciebant; Mars Gradiuus extra Vrbem poſitus, quia bellicoſus, in Vrbe Quirinus, quia ſedatus, & trãquillus, vt erudite ſcribit Seruius. Accurate nihilominus, & diligenter tractanda ſicuti philoſophiæ profeſſorem decet, ad augendam ſtudioſorũ vtilitatem, & rei litterariæ penum; Vt ſit in optima domo ſine ſuperuacuis, non ſine neceſſarijs vt ait Plutarchus. Adrianus Imperator in Senatu ſæpe dixit ita ſe geſturũ principatum, vt omnes ſcirent rem populi eſſe non ſuam priuatam. Diſputationem hanc ita peregi, vt ſperem omnes agnituros rem eſſe veritatis, & philoſophię candidatorum, non meę priuatę oſtentationis. Ille ita dicebat, vt Regem à Tyranno diſtingueret, ego vt ſeparem Philoſophum à Sophiſta. Summe laudabile eſt illud Plutarchi, non ſibi, ſed patrię ſua adminiſtrare, ideſt publico bono. Aemulatio quidem hæc eſt, ſed non qualem dicit Plato primum æmulatio, deinde inuidia, ſed qualẽ protulit Ariſtoteles, probum quiddam ęmulatio

tio est, & proborum. Nam vt ad consequenda bona se preparent æmulatione homines concitantur; precipue cum lege de qua Plutarchus, vt sancte sentiant, & modeste loquantur. Olim ludi Olympici, vt ait Pausanias, non sine Prefecto celebrabantur. Nostra hęc concertatio non alios habere debet Presides quam vos Illustrissimos atq; Excellentissimos Senatores, nobilitate, & sapientia summe conspicuos; quorum prudentia, & auctoritate sub auspicijs Serenissimæ Reipublicę nostra munia scholastica, litterarię exercitationes, & honoraria munificentissime, & sapientissime gubernantur. Archidamus duos inter se dissidentes ad lucum Mineruę sacrum duxit, & iussit ne prius illum locum exirent, quam dissidio deposito inuicem reconciliarentur. Ad vos litem hanc deduco (Patres) vos apello Iudices; veri Mineruę Antistites, qua polletis sapientia, iudicate; iudicio me sisto: à vestra sententia me non discessurum iuro.



PRAEFATIO

PRIMAE SECTIONIS

Ad Eruditum Lectorem.

F*Vndamenta generalia iacit hæc prima Sectio pro iudicio ferendo de futuris, necessaria. Associatus optimis, & celebratissimis Scriptoribus incedo memor dicti* [a] *Philonis periculosum esse animam incomitatam ad contemplationem ascendere.* [b] *Seneca iubebat cum sapientibus viuere*. Viue cum Chrysippo, cum Possidonio, hi tibi tradent diuinorum humanorumque notitiam. *In* [c] *hac disputatione cum sapientibus procedendum mihi duxi. Cyrus Iouem implorauit non socium tantum, sed etiam Ducem; Auctores hos grauissimos elegi non solum comites sed etiã difficilimi itineris Antecessores; vt enim* [d] *Vlyssi Minerua præit cum face illuminans tenebras, ita hi clarissimi Scriptores nobis cũ suis doctrinis. Sapientum iudicium timendum, & æstimandũ est, inquit* [e] *Plato; quia verò hæc est disputatio semitheologica, ideo veritas à nullo alio melius quam à fonte scholastico haurienda fuit. Eos accipies, Lector, antiquiores, & maioris auctoritatis, præcipue D. Thom. & Scotum, quos videbis esse opinionis quam ego propugno accerrimos defensores. Sequentur deinde alij ætatis mediæ, & iuniores, nam ipsis quoq; sua adhibenda est fides. Sequor hic communiter approbatam, ideo tutiorem, philosophiã, memor præcepti* [f] *Platonici musicam, eiusq; modos non facile mutandos, cum ergo*

a de migratione Abrahami.
b epist. 104.
c Xenoph. lib. 7. Pædis.
d Vlyss. T.
e in cõuiuio.
f 4. de Rep. &

phi-

Plutar. in laconicis institutis. g in Phedone. h in Gorgia. i in prologo casinæ.

philosophia teste eodem g *Platone sit* magna quędam musica *consequēs erit, vt neq; in philosophia nouæ, & inauditæ opiniones nisi summam ob necessitatem, & propter vrgentissimas, pene insolubiles, rationes sint admittendę, nam vt bene dicit idem Plato,* h & si familiarium quidam alias aliter loquitur philosophia tamen semper eadem. *Eleganter Plautus.* i

Qui vtuntur vino vetere sapientes puto
Et qui libenter veteres spectant fabulas.

Hoc dixerim de veterum, passim approbatis sententijs. Nouis enim opinionibus imminet periculum quod nouis comædijs accidere dicit idem Plautus K

K ibidē

Nam nunc nouæ quæ prodeunt comediæ
Multo sunt nequiores, quam nummi noui.

Ideo caute procedendum in electione nouarum sententiarum. Quo ad stylum meum, & orationis structurā oro te, lector perite vt consideres me hic philosophum non rhetorem nec oratorem agere, ideo reiectis l *byssinis verbis quæ sublimitatem habēt magnificentiā, & nitorem simplicitate me contentū fore. Placet illud Socratis apud Platonem* m non comptum iucundumq; esse oportere, sat esse si nihil aliud quā veritas curetur. n *Augustus sequutus est* genus eloquendi temperatum vitatis sententiarum ineptijs, & reconditorum verborum, vt ipse dicebat, foetoribus, *præcipuamq; curam duxit sensum animi, quam apertissime exprimere. Volo illa eadem à te petere, quę à Politiano suo olim Ioannes* o *Picus, videlicet vt possim vti verbis etiam iure latij nō donatis, si necessitas exigat, aut saltem ne styli elegantioris lenocinia quærātur. Curaui illud quod in oratione est præcipuum, vt sit clara sequutus in hoc* p *Aristotelem;* eloquutionis virtus diluciditate definiatur, quod ita esse illud signi est quoniam nisi oratio significet non habebit opus suū. *Sufficit vt possit ministeriū præbere menti, vt ait* q *Philo; Memor sum eius quod dixit Plutarchus,* r *non in theatro vel in odeo, sed in schola, & in ludo litterario me esse. Ingressus sum hunc ludū, pro veritate decertaturus.*

l Cœlius li. 23 cap. 7. m in Hippia maiore. n Suet. in Aug. cap. 86. o in proemio lib. de ente, & vno. p 3 Rhet. ca. 2 q quod deterio potiori insidi. r de auditione

Pro-

SECTIO PRIMA

CAPVT PRIMVM

De Natura relationis transcendentalis, & illam esse relationem realem.

1 CELEBRIS est distinctio relationis in prædicamentalem, & transcendentalem; quę quamuis non eodem modo à Scriptoribus explicetur, tamen communior, & receptior explicatio est, quæ sumitur ex D. THOM. p. parte q. 28. art. 1. *Respectus*, inquit, *aliquando est in ipsa natura, rei vt pote quando aliquæ res secundum suam naturam ad inuicem ordinatæ sunt & ad inuicem inclinationem habent*. Apparet hoc in accidentibus quæ intrinsece ad subiectum semper habent necessarium respectum quia dicuntur substantiæ entia 4. metaph. t. 2. & PORPH. Introductionis cap. 6. *Accidens*, inquit, *semper in subiecto subsistens*; quo circa S. THOM. 7. meta. lection. 4. sic scriptum reliquit, *acciden-*

tia dependent a subiecto & non habent esse nisi per hoc, quod insunt subiecto & ideo eorum quidditas est dependens a subiecto. Ista dependentia & habitudo est respectus transcendentalis accidentis ad subiectum, qui quia esse potest in omni prædicamento accidentali iure merito vocari consueuit transcendentalis.

2 Explicari etiam solet hic idem respectus exemplo scientiæ ad scibile, & potentiæ ad obiectũ, vt obseruat CAIET. 1. p. q. 77. ar. 3. Atque vt accedamus propius ad propositum nostrum, in forma ad materiam, & vice versa, in materia ad formam declarat hanc relationem CAIET. cap. 7. de ente & essentia q. 15. *sic enim materia essentialiter respicit formam, & vice versa*. SVAREZ in met. disp. 47. sect. 3. in fine idem docet. AVersa etiam in log. q. 19. sect. 2. *materia necessario essentialiter dicit ordinem ad formam, similiter forma ad materiam*. Sed de hoc latius paulo infra. Sufficiat hic obseruare, relationes transcendentales esse rebus relatis essentiales, vt notat & bene AVers. citata q. 19. sect. 2. & SVAREZ disp 47. sect. 4. n. 15.

3 Volo hic super omnia animaduertere res incompletas habere ad alias res, intrinsecas habitudines quia entia incompleta sunt instituta ad aliud, & earum respectus per se est intentus, ita & optime

SVAREZ disp. 47. sect. 3. & 4. & ANT. RVBIVS in Logica MEXICANA in prædicamentis cap. 7. q. 5. n. 72. Esse autem has relationes reales constat plane ex S. THOM. citata q. 28. ar. 1. vbi hunc respectum, quem dicit esse in ipsa natura rerũ *appellat relationem realem;* sed de hoc melius paulo infra.

CAPVT SECVNDVM.

Istas relationes reales posse appellari secundum dici, & secundum esse.

1 MANIFESTVM est D. THOM. appellasse has relationes secundum dici in opusculo 48. tract. de prædic. ad aliquid. cap. 1. vbi ait scientiam ad scibile & potentiam ad obiectum esse relatiua secundum dici. Clarius 7. de potentia art. 10. ad 11. Sequuntur Thomistæ, vt SOTO in prædic. cap. de ad Aliquid q. 1. SONCINAS 5. meta. q. 30. & è recentioribus IO. SANCHIEZ q. 35. acriter inuehitur contra illos, qui asserunt hæc relatiua trascendentalia esse relatiua secundum esse, & præcipue fundatur in auctoritate D. THOM. 1. par. q. 13. ar. 7. ad primum.

2 Alijs nihilominus placuit appellare has relatio-

nes secundum esse, ita SVAREZ disp. 47. sect. 3. n. 9. & 10. non repugnat AVersa q. 19. sect. 3. quatenus dicit *relata transcendentalia, vero & reali ordine referri.*

3 Ista controuersia breuiter expedienda est, quia consistit potius in modo loquendi, quam in ipsa re, proposito meo satis est, quia hæ relationes sunt reales habitudines, ideo rationabiliter appellari posse secundum esse. S.THOM. aperte dicit has esse relationes reales, non solum 1. par. sæpius citata, q. 28. ar. 1. sed etiam in 7. de potentia ar. 10. ad ij. cuius hæc sunt verba, *quędam sunt relatiua secundum dici, quæ tamen important relationes reales, sicut patet de scientia & de sensu.* CAIET. pariter opusc. de ente, & essentia cap. 7. q. 15. docet has esse relationes reales, & obseruat SVAREZ disp. 47. sect. 3. circa finem. Sæpe D.THOM. loquens de relatione materiæ ad formam, quæ secundum ipsum est relatio secundum dici significat esse realem, vt 8. meta. lect. p. & quodlib. 9. ar. 6. ad 3. Item relatio accidentis ad subiectum creditur esse realis quãuis sit secundũ dici ita S. THOM. 7. meta. lect. 4. & p. secundæ q. 53. ar. 2. ad 3. dicens enim ibi *accidens habere dependentiam à suo subiecto* significat habere relationem realem transcendentalem.

CA-

CAPVT TERTIVM.

In forma materiali ad materiam in qua reperitur, & quam actu informat esse relationem realem.

ISTA veritas est certissima, & fortasse a nemine vnquam antea negata; SIMPL. 2. phy. Com. 19 *materia inquit huius formæ, & hæc forma huius materiæ.* Clarius ALEX p. naturaliũ cap. 8. *materiam & formam impossibile est sine se mutuo eße cum ad se mutuo dicantur, quæ vero ad se mutuo dicuntur simul sunt natura, siquidem ad aliquid ea sunt &c.* AVER. 2. phy. Com. 26. *materia est de genere relationis dicitur enim respectu formæ, & similiter videtur esse de forma*: idem habet 4. de Cœlo Com. 35. Probatur etiam ratione AVERR. 4. phy. Com. 16. quę ratio saltẽ à posteriori est. *Scire formam absque materia, & materiam absq; forma impossibile est*, hæc vero est quædam proprietas relatiuorum, secundum ARIST. in prædic. cap. de ad Aliquid.

2 Item sic arguo; actus actuans dicitur relatiue ad potentiam, quam actuat, istæ formæ materiales sunt actus actuãtes, quia informant & vere in existunt, ergo dicuntur relatiue ad materiam quam actuant, de minore non potest esse difficultas,

pro-

probatur maior ex obseruatione SVAREZ disp. 43 sect. 6 in fine, vbi citat etiam CAIET. p. par. q. 13 ar. 7 ad 2 SCOTI; *secundum transcendentales relationes,* inquit, *potentia respicit actum, & actus potentiam.* Confirmo ex doctrina D. THO. 1 p. q 75 ar. 2 ad 1 & ad 2 vbi formis materialibus concedit aliquem modum in hærentiæ, ad similitudinem accidentium; saltem quo ad esse in alio, vt obseruat etiam in 1 p. q. 45 ar. 4 & q. 90 ar. 2 ex quo sic arguo: Accidentia ad sua subiecta, quibus inhærent habent relationem transcendentalem, vt dictum est supra cap. 1, formæ materiales quo ad inhærentiam, vel in existentiam assimilantur, & quasi æquiparantur accidentibus, vt deduxi ex S. THOM. ergo formæ materiales ad suum subiectum habent relationem transcendentalem.

3 CAIET. in Com. de ente, & essentia cap. 7 q. 15 *sic* inquit *materia eßentialiter respicit formam, & è contra.* SVAREZ disp. 47 sect. 3 n. 11 *In genere* inquit, *substantiæ materia, & forma habent inter se veram & realem habitudinem essentialiter inclusam in proprio esse ipsarum.* AVERSA in sua logica q. 19 sect. 2 *materia necessario essentialiter dicit ordinem ad formam similiter forma ad materiam.* FRANCISCVS BONAMICVS lib. 6 de motu cap. 25 *ex hoc ordine sunt materia & forma, in his enim est in-*

terna

terna relatio.

4 Confert ad hoc idem probandum vulgata & recepta propositio *causæ sunt sibi inuicem causæ*, quã licet ARIST. in 2. phy. t. 30. explicet de causa efficiente, & de fine, & idem dicat 5 meta. t. 2 tamen ab omnibus philosophis verissime applicatur materiæ & formæ; ita ALEX. 1 natural. cap. 17. *materia indiget ad existendum ipsa forma neque enim materiam sine forma possibile est subsistere, neque formam sine materia, utraque enim ipsarum altera indiget ad esse actu & ad existere* AVERR. 2 phy. Com. 30. *materia est causa formæ secundum quod forma non potest inueniri nisi per illam, forma autem est causa materiæ secundum quod materia non potest esse in actu & demonstrata nisi per illam*. Idem docet S. THOM. 5 meta. lect. 2 in fine; *forma, inquit & materia sibi inuicem sunt causa quantum ad esse*. ALEX. ALEN. 5 meta. in expositione t. 2 idem docet: *secunda conbinatio inter materiam & formam patet, nam forma est causa materiæ quantum ad esse, materia autem habet esse causa formæ in quantum sustentat*; & clarius immediate addit, *materia de se esse formale non habet & ideo ipsum habet per actum formæ materia autem hanc formam sustentat, sicut potentia actum.* CARD. TOLET in 2 phy. expositione citat. t. 30. *forma, inquit, est causa materiæ ut ipsam perficit, materia etiam est causa formæ ut ipsam sustentat*

tat & recipit. FRANC. etiã PICOLOMINEVS super illum eundem t. 30. 2 phys. *causæ sibi mutuo sunt causæ veluti materia est causa formæ*; ex quo præsupposito sic arguo. Effectus habet relationem ad causam, à qua dependet, forma materialis est effectus materiæ ab illa dependens tam in fieri, quam in facto esse, ergo forma materialis habet relationem ad materiam. Minor iam probata est auctoritatibus proxime antecedentibus, Maior probatur ex S. THOM. 1. par. q. 13. art. 7. in corpore, ideo enim scientia habet relationem ad scibile, & sensus ad sensibile, ideo intellectus refertur ad intelligibile secundum AVERR. 5 meta. com. 20. Videndus SVAREZ disp. 27. sect. 2. n. 6. FERRAR. 2. contr. Gen. cap. 68. *formæ* inquit *habent esse à materia dependens eo quod de potentia materiæ educantur*. Docet hoc idem expresse D. AVG. lib. de Ecclesiast. Dogm. cap. 17. *animalium animæ non sunt substantiuæ, sed cum carne ipsa carnis viuacitate nascuntur, & cum carnis morte finiuntur*. Hic apparet has formas dependere per se à suis subiectis, ideo ad illa referri.

5 Concludo cum ratione, quæ est potissimum fundamentum huius verissimæ assertionis. Quod habet esse in completum inuoluit essentialem habitudinem ad alterum, forma materialis habet esse incompletum ergo inuoluit essentialem habitu-

tu-

tudinem ad alterum id est ad materiam, tanquam ad suum subiectum; maior docte ponitur a SVAREZ disp. 47. sect. 3. in fine, *nam entia incompleta sunt instituta ad aliud, & propter aliud*; minor est D. THO. 2 contr. Gen. cap. 54. *nec forma potest dici ipsum quod est, nec etiam ipsum esse, forma tamen potest dici quo est*. Clarius 2. de anima lect. prima *quia forma est pars speciei non conuenit ei vt sit hoc aliquid*. SIMPL. 1. phys. Com. 50. obseruat *neque formam neque materiam esse substantias, sed substantiales solum*, quia sunt res incompletæ, & propter eandem rationem ARIST. in prædieam. cap. de substant. differentiam exclusit a ratione substantiæ, quia est substantialis potius quam perfecta substantia.

6 Verũ hic posset aliquis ingeniose obijcere; si forma haberet relationem ad materiam sequeretur, vt forma appeteret materiam sicuti materia appetit formam, sed legimus quidem in ARIST. 1 phy. 81. materiam appetere formam, sed vice versa à forma appeti materiam non legimus, imo contrarium possumus deducere per doctrinam ALEX. de ALES. 1. meta. initio, nam appetitus includit priuationem perfectionis, & possibilitatem ad eandem perfectionem, & semper appetitur illud quod perfectiuum est; materia non est perfectiua formæ, ideo non videtur appeti à

forma ſicuti forma appetitur à materia tanquam eius naturalis perfectio.

7 Pro reſolutione difficultatis dico omnino aſſeré-dum eſſe formam appetere materiam, ita vt iſta propoſitio ſit certiſſima & indubitata *forma appe-tit ſuam materiam*. Conſentiunt in hoc meliores recentiores. RVVIVS 1. phy. tract. 1. de mater. q. 7. *ſimilem appetitum habet forma vt coniungatur materiæ & conſtituat compoſitum*. AVERSA q. 7. ſect. 1. *materia appetit quidem formas ſed poteſt etiam dici appeti à formis, tanquam ſubiectum earum, quia for mæ habent naturalem exigentiam, & inclinationem exi-ſtendi in materia*. SVAREZ diſp. 10 ſect. 3. n. 24. *materia naturaliter appetit formam tanquam com-plementum perfectionis ſuæ, & forma etiam appetit materiam.*

8 Probatur etiam ratione, omne bonum & conue-niens alicui eſt illi appetibile 1. eth. cap. 1. & eſt cõmuniter receptũ, materia eſt bona formę, & illi conueniens ergo materia eſt à forma appetibilis; probo minorem, nam materia non ſolum eſt bo-na in ſe ratione ſuæ entitatis, vt conceſſit etiam S. THOM. in 3. contr. Gen. cap. 20. & optimo argumento probat HVRTAD. in ſua meta. diſp. 7 ſect. 3. n. 32. *quia in ſuo conceptu eſt perfectior accidente*; verum etiam eſt bona formæ & illi con-ueniens, cum forma naturali quadam exigentia requi-

requirat materiam; hoc considerauit optime FICINVS lib. 1. theologiæ cap. 6. non longe à fine *materia bona est quia ad bonum suscipiendum exposita & bono necessaria mundo*; & AVERSA q. 7. sect. 4. *formæ conueniunt subiectis, subiecta formis*, ideo inuicem sunt appetibilia FONSECA lib. 4. meta. cap. 2. q. 7. sect. 5. *conueniens siue congruens res omnes complectitur, atque adeo ipsam puram potentiã; est. n bona quia congruens tum formis naturalibus tum compositis, tum agentibus*. Corroboratur per D. AVGVST. lib. de natura boni cap. 18. materiam, ait, esse bonam, quia est capax formarum. *si bonum aliquid est forma*, inquit AVGVST. *procul dubio bonum aliquid est etiam capacitas formæ*, si bonum, ergo appetibile ab illo, cui est bonum.

9 Probo etiam materiam esse bonam formę, & assumo ex S. THOM. de spirit. creat. ar. 2. ad 5. *non esse aliquid perfectum in sua natura nisi actu explicari possit quod in eo virtute continetur*: ex quo deduco formam in materia obtinere perfectionem sui esse, quia explicat in ea omne illud quod in sua virtute habet, comunicando actualitatem materiæ & constituendo compositum, est ergo illi appetibilis materia sine qua hanc perfectionẽ obtinere non potest.

10 Arguo vltimo & fortius, esse huius formæ materialis ita pendet à materia vt sine ea destruatur;

forma naturaliter desiderat suum esse, ergo naturaliter desiderat materiam sine qua hoc esse destrueretur; minor à nemine negatur colligitur ex 1. phy. 81. & SIMPL. ibi Com. 78. maior est AVER. 4. phy. 7. *separatio formę à materia est corruptio*, & 1. meta. Com. 33. *impossibile est formas remanere, & deficere res, quarum sunt formæ*, in appetitu ergo proprij esse inuoluitur quod forma etiã appetat materiam sine qua esse non habet.

11 Nolo omittere doctrinam ALEX. 1. naturalium cap. vltimo vbi ait formam inesse materiæ in secundo modo per se, siue saltem secundum quandam similitudinem cum illis quæ insunt secundo modo dicendi per se, ex quo sic arguo. Quæ insunt secundo modo per se habent essentialem habitudinẽ ad sua subiecta, forma inest materiæ tanquam in secundo modo per se, iuxta ALEX. loco citato, ergo forma habet essentialem habitudinem ad suam materiam, maior probatur exemplo curui, & recti erga lineam, paris & imparis erga numerum, iuxta doctrinam ARIST. 1. post. cap. 4. t. 31.

12 Negari non potest hanc formam materialem habere dependentiam à sua materia, vt considerauit præter allegatos nobilis & celebris Scriptor GVILIELMVS PARISIENS. in libell. de immortalitate animæ, vbi de forma materiali enuncita

ciat *dependere ex sua materia & quantum ad esse, & quantum ad operari, & cum destructione suæ materiæ destrui*. Indicauit etiam AVERR. 8. phy. Com. 46. dicens *quando materia fuerit diuersa diuersabitur etiam forma*, ergo forma dependet ab vnitate, vel diuersitate suæ materiæ. Posset quis obijcere ALEX. qui 2 naturalium cap. 9 dicit *formam non esse ad aliquid quamuis dicatur alicuius esse*: Sed resp. ALEX. tantum voluisse formam esse relatiuam secundum dici, quæ tamen relatio est omnino realis vt obseruaui supra cap. 2.

13 Reliquum est vt respondeam ad argumentum, quod supra feci ex ALEX. ALENS. & erat hoc. Appetitur quod est perfectiuum, materia non est perfectiua formæ ergo materia non appetitur à forma. Respondeo negando maiorem quia potest aliquid appeti vt perfectibile ad comunicandum illi suam perfectionem, vt obseruat SCOT. in 4. dist. 49. q. 3. & RVVIVS tract. de materia in 1. phy. q. 7, forma itaque saltem poterit appetere materiam tanquam à se perficiendam. Possum etiam sic respondere facto fundamento ex S. THOM. 1. p. q. 82. ar. 1. & clarius 1. 2. q. 8. ar. 3. & q. 12 art. 4. quem sequitur AEGIDIVS in 2. dist. 38. q. 2. ar. vlt. *eodem actu appeti finem & media necessaria ad consequendum finem*, quia intentio finis est ratio appetendi media: quo posito

sic

ſic arguo: Eſſe formæ de qua hic loquimur ſine materia conſiſtere nullo modo poteſt; forma appetit hoc eſſe per modum finis ſui, ergo eodem appetitu appetit materiam, neceſſariam ad conſeruationem huius eſſe; quaſi à forma appetatur proprium eſſe tanquam finis, & materia tanquam medium ad conſequendum hunc finem; loquendo ſemper de appetitu naturali, & applicando proportionaliter illi, doctrinam D. THOM. quæ loquitur expreſſe de appetitu intellectiuo, & aliquo modo etiam de ſenſitiuo.

CAPVT QVARTVM.

Animam rationalem fuiſſe creatam vt veram formam, & cum hac relatione, & habitudine ad ſuum corpus, eamque ſemper retinere dum illud informat.

1 FVNDAMENTVM huius veriſſimæ aſſertionis eſt illud, quod affert S. THOM. lib. 2 de anima lect. 1. *anima*, inquit, *rationalis, non habet ſpeciem completam, ſed magis eſt pars ſpeciei*, & 1. p q. 75. ar. 7. ad 3. *anima ex natura ſuæ eſſentiæ habet quod ſit corpori vnibilis vnde nec proprie anima eſt in ſpecie.* Item eadem q. 75. ar. 2. ad 1 *anima eſt pars ſpeciei humanæ*, ex quibus locis ſic

sic construo argumentum. Pars essentialis formalis habet relationem transcendentalem ad suum totum,& ad materiam alteram sui compartē, anima rationalis saltem dum actu informat est pars essentialis,& formalis, idest vera & naturalis forma hominis, ergo anima saltem dum informat habet relationem, & habitudinem essentialem tam ad hominem, qui est ipsum totum quam ad corpus, quod est altera eius compars. De minore non est qui dubitet, saltem inter Peripateticos,& conceditur ab Excellentissimo Collega meo in hac disp. maior probatur,& primo quod habeat habitudinem ad ipsum totum: ex S. THOM. 1.p. q. 65. art. 2. *omnes partes sunt propter perfectionem totius*; & 1. p. 2.q. 90. ar. 2. *cum omnis pars ordinetur ad totum sicut imperfectum ad perfectum &c.*

2 Deinde probo quod forma ordinetur ad alteram sui compartem, videlicet ad materiam,& adduco S. THOM. 2. contra Gen. cap. 81. *formam & materiam semper oportet esse ad inuicem proportionata, & quasi naturaliter coaptata, quia proprius actus in propria materia est*: & inhęrendo ARIST. 1. de anima t. 53. S. THOM. in eodem 1. de anima lect. 8. *constat* inquit, *quod inter formam & materiam est aliqua proportio*, si anima est forma vt certum est, oportet esse proportionatam suæ determinatæ materiæ. Declarat adhuc expressius S. THO.

in

in 2. contra Gent. cap. citat. 81. *hæc anima est commensurata huic corpori, & non illi.* Ista commensuratio indicat habitudinem specialem, & determinatam huius animæ ad hoc suum corpus, & hoc prosequitur late & docte CAIET. libell. de ente, & essentia cap. 6. q. 13.

3 Procedit vlterius S. THOM. in 1. p. q. 118. ar. 3. & dicit *animæ naturale est corpori vniri, & sine corpore esse est sibi contra naturm, & sine corpore existens non habet suæ naturæ perfectionem*; Ratio est quia est vera pars essentialis, sic notat S. THOM. in 3. dist. 5. q. 3 ar. 2 & concedit etiam ALEX. 1. naturalium cap. 8. pars autem in suo toto habet naturalem suam perfectioné, colligitur ex ARIST. 1. polit. cap. 2. & ex D. THOM in 4. dist 49. q. 1 ar. 4. *omnis pars incompleta est & completur in suo toto*. Idem docet 2 contra Gent. cap. 83 & alibi sæpe: ALEX. 1 de anima cap. 5 *species* inquit, *& forma alterius est*, anima est forma, ergo est alterius.

4 Confirmo per doctrinam CAIET. 1 p. q. 13 art. 7 ad 2 SCOTI *actus inquit respicit potentiam*, vbi notat esse aliquem actum qui intrinsece refertur ad potentiam, relatione transcendentali, & huiusmodi esse actum informantem.

5 Sed quia etiam ab Excellentiss. Collega in suo opusculo libro 1 cap. 3 pag. 8 conceditur animam

ra-

rationalem dum est in corpore habere hanc propensionem ad corpus, ideo non ero longior in hoc probando, adducam tantum hoc motiuum, esse naturalem connexionem, & quasi fœdus initum animæ cum corpore, ita vt propterea dixerit CYRILL. ALEX. lib. de Incarnatione Vnigeniti ca. 7. *quod anima omnia quæ sunt corporis reputat esse sua*, & BERNARD. in serm. de S. Clemente dicit, *carni suæ vinculo naturalis affectionis inhærere*, & AMBROS. super psal. 61. initio, dicit, *anima carni compatitur, & animæ caro, quæ sibi quodam contubernio copulantur*, & AVGVST. lib. 7. de Genesi ad litter. cap. 27. dicit, *animam velle naturaliter esse in corpore*, quocirca possumus concludere cum FICINO lib. 5. theologiæ cap. 5. vbi de anima rationali loquens sic ait, *essentia tertia licet à materia non dependeat; tamen à Deo facta longinquior & propinqua materiæ ad eam quodamodo inclinatur ob quam inclinationem anima nuncupatur.*

CAPVT QVINTVM.

Post hominis mortem, & compositi dissolutionem in anima intellectiua separata permanere naturalem inclinationem ad corpus, & ad illius vnionem per informationem.

1 ACCEDO propinquius ad disputationem, & quia hoc est principale eius caput, & negatur apertissime ab Excell. Collega meo libr. 1. sui opusculi cap. 7. & postea sæpe, & sæpius, ideo videtur mihi summe necessarium esse optimis testimonijs, & auctoritatibus hoc theorema confirmare.

2 Incipiam à magno præceptore D. THOM. & quia hæc controuersia maxime à Scholasticis agitatur, ideo eorum etiam placita abunde pro viribus subijciam. Fundamentum, cui tota hæc fabrica innititur significatur à S. THO. 2. contra Gen. cap. 81. *hæc anima est commensurata huic corpori, & non illi, illa alij, & sic de omnibus; huiusmodi autem commensurationes remanent in animabus, etiam pereuntibus corporibus, sunt enim animæ secundum substantias suas formæ corporum*, ex quo sic arguo. Substantia alij commensurata, & erga illud retinens habitudinem formæ, habet ad illud relationem transcendentalem, anima separata retinet commen-

mensurationem ad suum corpus, & ad illud se habet tanquam forma, ergo anima separata habet ad corpus relationem transcendentalem.

3 Et quia probatum est in præcedentibus formam ad materiam habere relationem, si ostendero animam separatam adhuc esse formam, & partem essentialem probatum etiam videbitur animam separatam habere ad corpus relationem; Ad probandum itaque separatam animam esse formam adduco eundem D. THOM. q. de anima ar. 1. ad 10. *corrupto corpore non perit ab anima natura vt sit forma licet non perficiat materiam actu, vt sit forma.* Confirmo quia S. THOM. perpetuo appellat animam separatam partem humanæ naturæ, vt de spiritualibus creaturis ar. 2. ad 5. *anima cum sit pars humanæ nãræ non habet perfectionẽ suæ nãræ nisi in vnione ad corpus.* 4. contr. Gen. cap. 79. *anima à corpore separata est aliquo modo imperfecta sicut omnis pars extra suum totum existens, anima enim naturaliter est pars humanæ naturæ.* 2. contr. Gen. cap. 83. ratione 3. *omnis pars à suo toto separata est imperfecta, anima cum sit forma est pars speciei humanæ, igitur existens per se absque corpore est imperfecta.*

4 Adhærens S. THOM. his suppositionibus, & principijs in 1. p. q. 76. ar. 1. ad 6. sic concludit, *anima humana manet in suo esse cum fuerit à corpore separata habens aptitudinem, & inclinationem naturalem*

ad corporis unionem, in quibus verbis noto illam particulam, *anima humana manet in suo esse cum fuerit à corpore separata*, ergo manet in esse formæ quia hoc esse habebat prius dum erat in corpore. In 1. 2. q. 4. ar. 5. ex auctoritate D. AVGVST. 12. de Gen. ad litt. cap. 35. probat S. THOM. hanc naturalem inclinationem animæ separatę ad corpus, *quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi.*

5 Veniamus ad SCOTVM qui in 4. dist. 49. q. 3. litt. F. in respōsione ad 3. *totalis inquit quietatio naturæ loquendo de totalitate extensiua requirit, quod quicquid est in natura quietabile quietetur, & huiusmodi beatitudo hominis non est sine resumptione, & reunione animæ ad corpus.* Statim reddit rationem SCOTVS, *quia aliquis appetitus est in ipsa anima ad corpus tanquam ad proprium perfectibile.* Fortasse propter hoc dixit D. BERNARDVS in sermone 3. in festo Omnium Sanctorum animas beatas expectare donec recipiant corpora sua, quia *præstari non decet integram beatitudinem donec sit homo integer.* Hanc quietationem *subiectiuam* vocat CONRADVS 1. 2. in Com. q. 4. ar. 5. quia se tenet ex parte animæ, quę est subiectum beatitudinis, alteram vero vocat quietationem *obiectiuam*, quæ consideratur ex parte Dei, qui est obiectum beatitudinis.

6 Sed

6 Sed redeamus ad SCOTVM qui in quolibet 9. multa habet digna, quę hic ad propositum nostrũ afferantur: etenim in litt. A. considerat conditionem formæ, & dicit *forma substantialis per se ordinatur ad eße totius*, quod etiam dixerat in 4. dist. 45. q. 2. litt. F. *vnio inquit animæ ad corpus est propter perfectionem totius consistentis ex istis partibus*, videlicet ex anima tanquam forma & ex corpore tanquam materia, ex quo sic arguo; forma substãtialis per se ordinatur ad esse totius, per SCOT. loco citat. anima separata est forma substantialis vt probaui supra hoc eodem cap. & aperte concedit SCOT. citata q. 9. litt. B. ergo ordinatur per se ad esse totius.

7 Volo efficacius insistere in hoc quod anima separata sit forma pars, & substantia non completa, & arguo hunc in modum; subsistens tanquam ens completum est suppositum, & in natura rationali vocatur persona, anima separata non est persona, quamuis subsistat, ergo non est aliquod ens completum, sed forma, pars, & substantia incompleta, maior propositio probatur, quia nomine suppositi intelligitur substantia prima complete subsistens, vt notauit SVAREZ disp. 34. sect. 1. n. 7. ita vt pars substantiæ primæ non sit suppositum secundum D. THOM. 1. p. q. 29. ar. 1. ad 2. suppositum debet esse omnino incomunicabile

non

non tantum communicatione qua natura communicatur ſuppoſito, ſed etiam communicatione qua forma communicatur materiæ, per SCOT. in quolib. 9. litt. B in 1. diſt. 23. q. vnica,& in 3. diſt. 1. q. 1. atq; ita completiſſime ſubſiſtens ſubſtantia prima vocatur ſuppoſitum, & in rationali natura appellatur perſona, ita S. THOM. 1. par. q. 29. ar. 2. Minor propoſitio videlicet quod anima non ſit perſona probatur apertiſſime primo per S. THOM. citata q. 29. ar. 1. ad 5. *dicendum quod anima eſt pars humanæ ſpeciei, & ideo licet ſit ſeparata, quia tamen retinet naturam vnibilitatis, non poteſt dici ſubſtantia indiuidua, quæ eſt hypoſtaſis, vel ſubſtantia prima ſicut nec manus, nec quæcumque alia partium hominis, & ſic non competit ei neque definitio perſonæ, neque nomen.* Deinde SCOTVS de hoc eodem loquendo negat apertiſſime animam eſſe perſonam, quo circa in 1. diſt. 23. q. vnic. litt. C. *anima ſeparata licet habeat primam incõmunicabilitatem, tamen non eſt perſona, quia non habet ſecundam, & vtraque incomunicabilitas requiritur ad rationem perſonæ,* & in 3. diſt. 1. q. 1. litt. D. & E. refutat tanquam incoueniens animam ſeparatam eſſe perſonam,& quolibet. 9 litt. B. idem habet. MARSILIVS in 3. q. 13. art. 2. idem concedit deducens ex hoc *animam hominis habere naturalem tendentiam ad corpus quia habet, vt* ipſe ait, *cum eo ſona-*

re etiam separata.

8 Confirmo hoc alio argumento. Quod est suapte natura vnibile corpori ad faciendum vnum per se est substantia incompleta, non suppositum neque persona, anima rationalis separata à corpore est substantia suapte natura vnibilis corpori ad faciendum vnum per se, ergo anima rationalis etiam separata non est substantia completa, neque persona, maior propositio probatur argumento Angeli, qui ideo iudicatur esse substãtia cõpleta, q͂a ab intrinseco non est vnibilis corpori per modum formæ, vt cõiter docet Scholastici præcipue SCO. in quolibet q. 9. minor propositio probatur 1. per S. THO. 1. p. q. 29. ar. 1. ad 5. vbi de aĩa separata dicit *quod retinet naturam vnibilitatis.* Accedit ALBERTVS de quatuor coæquis q. 5. ar. 25. sic dicens, *& præterea substantialis differentia animæ est quod ipsa est vnibilis corpori*, & paulo post, *& quod ita sit scilicet quod anima dependentiam vnibilitatis habeat ad corpus patet ex hoc, quod etiã creator non creat eam nisi in corpore*. CASSIODORVS in lib. de anima distinguens animam ab Angelis sic dicit, *neque Angelorum, quia carni sociabilis est.* In summa anima separata ab his grauissimis philosophis, & theologis semper iudicata fuit pars, & per consequens incompleta substantia, ordinabilis essentialiter in totum, vt vnita toti ipsa perficeretur

retur, & perficeret totum.

9 Esse partem aperte indicat S. THOM. in 4. dist. 43. q. 1. ar. 1. dub. 1. ad 4. argumentum *dicendum, quod cæteris paribus perfectior est status animæ in corpore quam extra corpus, quia est pars totius compositi.* SCOTVS lib. 2. dist. 9. q. 2. litt. P. *anima non tantum vnitur vt operetur circa corpus, vt obiectum sed vnitur vt totum compositum sit, cuius ipsa est pars.*

10 Quod vero debeat vniri, vt ipsa perficiatur, & vt perficiat totum, egregie docuit ALEX. ALENS. Theologus magni nominis par. 2. suæ summæ q. 87. memb. 2. ar. 2. n. 2. his verbis. *licet sit distantia quę tacta est in opponendo, in quantum hoc est corporale illud spirituale; est tamen quidam illorum ordo, & respectus qui est perfectionis ad perfectibile, vnde est illorum appetitus mutuus, ex quo est quædam ratio colligationis eorum ad inuicem.* Loquitur in his verbis de respectu animæ ad corpus, & vice versa, & vi istius appetitus statim dicit quid faciat anima, & quid recipiat quando vnitur corpori, sic scribens, *inquantum est appetitus huius perficiendi illud; & etiam in perficiēdo illud sibi pleniorem aquirere perfectionem, habet aliquid vnde vitam appetit tribuere.* Ecce quid tradat anima, & quid recipiat, tradit perfectionem materiæ, & cōposito recipit, *sibi pleniorem acquirendo perfectionem*. Hæc omnia indicant

cant animã esse formam, & substantiam incompletam.

11 Sed redeamus ad SCOTVM videlicet ad q. 9. quodlibet., *anima separata est imperfecta, quia caret esse totius*, ita ipse dicit citata q. litt. M. & in 2. dist. 17 q. 1. litt. B. sic ait idem SCOTVS. *Dei perfecta sunt opera, anima est pars imperfecta dum actu non informat; igitur non debuit sic creari.*

12 Prosequendo doctrinam eiusdem SCOTI in citata q. 9 solutione 4. obseruandum est optimum fundamentum necessarium ad resoluenda dubia, & motiua contraria: duo genera partium considerat ibi SCOTVS nempe partes *integrantes*, & partes *essentiales*, & dicit partem integrantem separatam à toto effici totum quiddam, & ideo nõ habere habitudinem ad aliam compartem nec ad totum; sed partem essentialem semper remanere in esse partis, & per consequens semper ordinari in alteram sui compartẽ, & in totum: verba SCOTI hæc sũt: loquitur prius de parte integrante; *illud quod potest esse pars integralis homogenea totius separatum non dicitur imperfectum, quia habet esse æq; perfectum cum illo esse, quod potest participare, unde non proprie dicitur ordinabile ad esse totius.* Hactenus de parte integrante; sequitur statim de parte essentiali *sicut illud quod natum est esse pars essentialis per se ordinabilis ad esse illius, cuius natum est esse aliquid.*

D Quis

Quis non videt partem essentialem etiam separatam esse semper ordinabilem in totum; partem integrantem minime?

13 Indicauerat hanc doctrinam etiam ALEX. 1. de anima cap. 5. dicens tantum; *non eo pacto materia & species partes corporis sunt quo partes illæ, in quas corpora secantur, & deciduntur*, & pergens ALEX. videtur tangere rationem, quare partes integrantes separatæ non ordinentur in totum; *quia sectæ manent, & subsistunt* intelligendo de subsistere per modum entis completi.

14 Sed omittendo ALEX. qui sub nube tantum significat hanc doctrinam, quam explicare intendo: Adduco SVAREZ clarissime hoc dicentem in meta. disp. 33 sect. 1 n. 11 pauca verba afferā: *anima rationalis etiam separata est substantia incompleta, quia licet actu non componat totum, tamen aptitudine de se est pars*; Et considerando differentiam partis integrantis, & essentialis dicit de parte integrante *gutta aquæ separata non est positiue vt sic dicam pars, sed tantum negatiue quia ex natura sua non postulat coniunctionem ad aliam aquam, in se enim habet integram aquæ essentiam, & proprium suppositum, &c.* Deinde loquens de parte essentiali, & hoc applicans animæ sic dicit; *in anima vero secus res se habet, nam etiam si sit separata est pars secundum positiuā aptitudinem, & naturam, est enim pars non integralis*

sed

sed essentialis habetque incompletam essentiam natura sua institutam ad complendam aliam, & ideo semper est substantia incompleta.

15 Ex hac doctrina sic explicata hunc in modum arguo, pars essentialis etiam separata à toto remanet pars; & in totum ordinata, anima ex sui substantia est pars essentialis, ergo anima quomodocumque separata semper remanet pars essentialiter in suum totum ordinata.

16 Redeo rursus ad SCOTVM, & considero eius doctrinam in 4. dist. 43. q. 2 litt. S. dicit animam separatam habere inclinationem ad corpus saltē tanquam ad perfectibile à se, & cui communicare potest suam perfectionem. Eandem doctrinam forrasse clarius docet, vt supra citaui, hoc eodem cap. in 4. dist. 49. q. 3. litt. F. *aliquis appetitus est in ipsa anima ad corpus tanquam ad proprium perfectibile*. Cum CAPREOLO Thomistarum principe hoc idem possumus manifestissime probare, ipse enim 4. dist. 43. q. 1. a. 3 circa finem sic ait, *anima coniuncta habet perfectiorem statum, vel perfectius esse nāale, quam separata, quia aliquos effectus hēt corpori coniuncta quos non potest habere à corpore separata*, & hoc declarat ex doctrina S. THOM. de spiritual. creaturis artic. 2. ad 5. ita etiam RICHAR. in 4. dist. 43. ar. 1. q. 1.

17 Ex doctrina præhabita tam ex SCOTO, quā ex

CAPREOLO, & RICHARDO sic arguo, Causa cui cõnaturale est perficere aliquid, & pducere aliquos effectus inclinatur naturaliter in illum statum in quo potest illud perficere, & illos effectus producere, anima separata habet connaturaliter posse perficere corpus, & producere multos effectus, ergo naturaliter inclinatur in illum statum, in quo hæc potest facere, & extra quem hæc non potest facere; talis autem est status coniunctionis cum corpore: ergo in hunc statum naturaliter inclinatur.

18 Alium medium terminum deduco ex doctrina eiusdem CAPREOLI in 4 dist. 43. q. 2. art. 3. vbi respondet argumentis SCOTI 2. loco contra primam, *inclinatio inquit naturalis animæ ad corpus est sicuti imperfecti ad perfectum, & potentiæ essentialis ad actum primum*, vult CAPREOLVS significare animam separatam esse imperfectam, & perfici in vnione cum corpore. Concordat DVRANDVS in 4. dist. 49. q. 7. n. 7. *anima coniuncta habebit perfectius esse, idest perfectiori modo quam separata*, & obseruanda ratio quam adducit DVRAND. *quia pars perfectiore modo existit in toto quam separata ab ipso.* RICHARDVS antiquus, & illustris Scholasticus in 4 dist. 49. a. 2 q. 7. approbat eãdẽ doctrinam, *omnis pars habet perfectiorem modum essendi in toto quam separata ab eo: cæteris paribus, anima autem*

tem est hominis pars, ex quibus assumptis sic arguo: omne imperfectum naturaliter inclinatur in illũ statum, in quo acquirit perfectionem, Anima separata in eo statu est imperfecta, & vnita redditur perfectior: ex hactenus allegatis, ergo anima separata inclinatur naturaliter in vnionẽ cum corpore: ad huiusmodi perfectionem acquirendam.

19 Ideo HENRICVS quolibeto 3. q. 15. sic scriptũ reliquit, de anima separata, *semper habet naturalem appetitum, & inclinationem ad corpus.* D. BONAVENTVRA, in 3. dist. 21. art. 1. q. 3. loquens de anima, & de corpore Christi in triduo, sic ait. *Et si illa essent localiter diuisa, erant tamen secundum naturalem inclinationem, adinuicem ordinata.* ARGENTINA in 4. dist. 49. q. 3. art. 4. agnoscit, & approbat hanc inclinationem, *ob quam tanto desiderio anima tendit in corpus suum, eius reunionem appetendo quod quodammodo retardatur ne feratur tota intentione in summum cœlum.* S. THOMAS 4. contra Gentes cap. 79. inspecto hoc desiderio, & naturali propensione dicit *esse aliquo modo contra naturam animæ esse absque corpore*: & ex hoc principio *quod anima sit pars humanæ naturæ* deducit esse imperfectam separatam à corpore, *& ante reunionem, eius desiderium non totaliter quietari.* Concordant dicta à S. THOMA in opusc. 3. parte 1. cap. 151. *cum anima naturaliter corpori vniatur, naturale ei desiderium*

rium ineſt ad corporis vnionem. Commemorat ibidẽ animæ ſeparatæ imperfectionem, eam eſſe partem, & tandem concludit, *non poterit igitur eſſe perfecta quietatio uoluntatis niſi iterato anima corpori coniungatur: quod eſt hominem à morte reſurgere*. CAIET. 1. p. q. 76. ar. 1. agnoſcit aliquam violentiam in anima ſeparata, *quoniam habet aptitudinem, & inclinationem naturalem ad vnionem*, Tandem S. THOM. in 4. diſt. 49. q. 1.2.4. in ſolut. primæ quæſt. *coniunctio corporis ad animam addit animæ aliquam perfectionem, quia omnis pars imperfecta eſt, & completur in ſuo toto: vnde, & totum ſe habet ad partes, vt forma ad materiam.*

20 Sufficiant pro nunc antiquiores, venio ad recentiores, & magis approbatos; SVAREZ tom. 2. in 3. partem diſp. 44 ſect. 7. *Anima pondere naturali appetit corpus, quia eſt naturalis forma eius*, & paulo poſtea, *caret anima ſeparata complemento alicuius appetitus naturalis*. BECANVS 1. p. Tract. 1. cap. 9. q. 9. n. 11. *Beati appetunt ſua corpora naturali propenſione animæ, qua appetit vniri ſuo corpori*. RVVIVS in 3. de anima tract. de anima ſeparata q. 7 approbat opinionem dicentium *permanere in anima ſeparata appetitum naturalem, vt vniatur corpori*. AVERSA q. 59 ſect. 1. in vltimis verbis. *In anima ſeparata eſt appetitus naturalis ad vnionem, ſicut vtique in cæco remanet adhuc appetitus naturalis ad*

vi-

videndum, licet non possit amplius per vires naturæ recuperare visum. CONIMB. tract. de anima separata disp. 2. ar. 3. idem dicunt, & 1. phys. cap. 9. q. 10. ar. 1. vbi asserunt animam à corpore separatam esse veram formam, vnde sequitur vt inuoluat habitudinem ad corpus, tanquam ad suam materiam. MEDINA in 3. p. q. 53. ar. 1. non solum fatetur hanc inclinationem, sed etiam dicit deduci ex SS. Patribus. BVNGVS scriptor valde eruditus, explicans mysteria numeri octonarij, fauet admodum huic opinioni communiter receptæ; sed clarissime FICINVS, Theolog. lib. 18. cap. 9. *naturali instinctu anima ad corpus afficitur*, & paulo infra, *animæ à corporibus separatæ ad illa semper naturaliter inclinabuntur*. Accedit SOT. in 4. dist. 43. q. 2. art. 5. *cum anima separata à corpore eadem perseueret, nihil mirum si eandem naturam, ac subinde eandem affectionem ad corpus retineat.*

21 Piaculum mihi videretur esse omittere pulcherrimum locum NYSSENI de hominis opificio cap. 27. *cum animus adfectione, & amore à nãa singulari corpus in cuius quasi contubernio fuit, prosequatur, iccirco ei de coniunctione pristina quædam inest erga propriũ corpus occulta, siue adfectio, siue agnitio, natura quasi notas singulas imprimente*, & paulo postea *quapropter cum animus ipse quicquid sibi cognatũ est, & proprium colligat, quis obsecro labor potestati diuinæ fuerit efficere*

vt

ut cognata rursus concurrant : ista sunt anima, & corpus, in resurrectione reunienda, & addit tandem rationem, aut saltem congruentiam resurrectionis ab hac naturali inclinatione *quæ ductu naturæ quodam ineffabili, ad se mutuo feruntur.*

CAPVT SEXTVM.

Resurrectionem corporũ, & reiteratam vnionem animæ cum corpore esse aliquo modo naturalem, & hoc ratione istius naturalis inclinationis.

1 SI probauero resurrectionem mortuorũ, quæ simpliciter loquendo est supernaturalis, esse aliquo modo naturalẽ, & hoc ratione istius inclinationis animæ ad corpus, credo me allaturum optimum argumentum vt probem talẽ inclinationem esse naturalem.

2 Ante omnia debemus distinguere *Inclinationem à potentia* præcipue actiua, quocirca SOT. in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. credit in Creatura rationali esse naturalem appetitũ, & inclinationem videndi Deum, tamen non concedit potentiam naturalem ad hunc finem: sequutus in hoc SCOT. in 4. dist. 49. q. 10. & in Prolog. 1. sent. q. 1. litt. x. ibi ad arg. principalia: obseruante etiam, & ap-

pro-

probante RADA in suis controuersiis tom. 1. cō-trou. 1. a. 2. Loquar ergo hic precise de inclinatione quam, dixi, dico & dicam esse naturalem, & ex ea fieri vt resurrectio sit aliquo modo naturalis.
3 Incipiam à maximo Magistro S. THOMA, 4. cōtra Gentes cap. 81. *Resurrectio quantum ad finem naturalis est; in quantum naturale est animæ esse corpori vnitam.* Exponit ibi FERR. mentem S. THO. *Naturalis dicitur esse resurrectio, quantum ad finem quia terminatur ad vnionem animæ, & corporis, quæ vnio est secundum naturalem Animæ inclinationem.* Quo posito sic arguo: Quod facit vt resurrectio sit aliquo modo naturalis esse debet naturale, inclinatio animæ separatæ ad corpus facit vt resurrectio sit aliquo modo naturalis, ergo talis ĩclinatio esse debet naturalis. Totum hoc argumentum ponit in virtute SYLVEST. in Conflatu q. 76. ar. 2. cōsiderans solutionem 6. arg. *Aīa separata naturaliter appetit reuniri corpori, & sic resurrectionem, quia resurrectio, est naturalis ex parte principij passiui.* Caiet. in prima part. q. 76. art. 1. Distinguit *terminum a via*, & dicit *animam separatam habere esse cuius oppositum est esse naturale; quoniam habet aptitudinem, & inclinationem naturalem ad vnionem quoad esse.* Ex hoc deducit resurrectionem esse naturalem *secundum finem* vt dixerat S. Thom. a me supra citatus. Idem S. Thomas in 4. dist.

43. qu. 5. art. 1. quest. 3. ait resurrectionem esse naturalem quoad *terminum*, & assimilat resurrectionem mortui illuminationi cœci, quæ ratione *termini* est naturalis, quamuis secundum modum sit supernaturalis. Sequitur eandem sententiam SOTO in 4. dist. 43. qu. 1. art. 3. Concordat SCOTVS, qui in 4. dist. 43. qu. 4. ait resurrectionem dici posse naturalem *quatenus passum inclinatur naturaliter ad formam quam recipit*. Alibi idem SCOTVS agnoscit hanc naturalitatem ex parte animæ quæ reunitur: ita in 4. dist. 49. q. 3. litt. F. *aliquis appetitus est in ipsa anima ad corpus, &c.*

4. Recentiores ab omnibus valde approbati expressius hoc significantes dixerunt, resurrectionem esse *naturalem quoad substantiam*. Ita HVRTADVS in Physica Disp. 2. sect. 3. n. 41. AVERSA q. 59. sec. 1. in fine; CONIMBRI. De Anima separata Disp. 2. art. 3. & 4. vocant naturalem quoad *Entitatem* supernaturalẽ quoad *Modum* ZVMEL in Pr. Par. qu. 12. art. 1. Disp. 2 ad 5. Illuminationem cœci ait esse naturalem quoad *substantiam*, sed illuminationi cœci assimilat resurrectionem mortui S. THOMAS in additionibus ad 3. partẽ qu. 75. art. 3. ergo etiam Resurrectio erit naturalis quoad *substantiam*. Approbat etiam hoc idem ex S. THOMA Medina 1. 2. qu. 113. art. 10.

5. Dicitur supernaturalis quoad *modum, & quo ad potentiam*

tentiam

tentiam actiuam ita S. THOM. in 4. Dist. 43. q. 1. art. 1. qu. 3. *resurrectionis principium natura esse non potest*, & paulo postea, *nullum actiuum principium resurrectionis est in natura* agnoscit tamen ibidem *potentiam passiuam, & inclinationem;* AMBROSIVS De fide resurrectionis, paulo ante medium, *non est* inquit *resurrectio nostrum meritum sed Dei munus*, vere hoc dictum est, quia est supra naturæ *vires*, sed non supra naturæ *inclinationem*, *& passiuam potentiam naturalem*. Concludere intendo hoc cap. cum D. BONAVENTVRA in 4. dist. 43. art. 1. qu. 5. ibi pertractat doctor hic eximius de resurrectione mortuorum quærens an possit dici naturalis, & docet, quoad animæ vnionem corpori iam reformato, esse naturalem. *quia est secundum naturam vt anima optime corpori sibi organizato, cui desiderabat vniri, vniatur*. Obseruo illam particulam, *cui desiderabat vniri*. anima ergo tenebatur sui corporis desiderio.

6. Dicetis loqui D. BONAV. de corpore organizato, ideo de prima vnione quę fit in conceptione, non de reunione quæ fit in resurrectione. Resp. loqui de reunione, & resurrectione vt ibi manifeste patet, sed est aduertendum ex eodem Doctore ibidem, tria esse in resurrectione. *Primum est corporis ex pulueribus reformatio 2. corpori reformato animæ vnio 3. vnitorum inseparabilis colligatio*.

Primũ contra solitum cursum naturæ. Secundum est secundum naturam, 3. est supra naturam. Hic apparet quid in resurrectione sit super naturale, quid naturale, reformatur corpus supernaturaliter, sed reformato corpori anima vnitur naturaliter.

7. Pergit ibi D. BONA. *Anima rationalis quia est anima differt ab angelo, & conuenit cum alijs animabus, & per hoc habet inclinationem ad corpus. Quia rationalis ad corpus humanum*, ecce propensionem naturalem. *Sed ad hoc magis quam ad illud propter coniunctionem quam habuit ad illud.* Noto inclinationem animæ sequi *ex præcedente coniunctione*, & declaro cum D. TH. 2. contra Gen. cap. 81. anima fuit creata commensurata huic corpori, sic illi vnita, si separetur manet inclinatio vi illius commensurationis, & coniunctionis præhabitæ. Pergit D. BONAV. *Anima tanto affectu vnitur substantiæ carnis, quam prius viuificabat, quod non complete ei satisfit nisi illa eidem, vbicumq; lateat, vnitur, & sic patet quod anima habet ordinationem, & appetitum per quem ordinatur ad illud corpus.* Nihil credo expectari posse clarius.

8. NICOLAVS de Nise illustris Theologus eandẽ prorsus doctrinam sectatur, Trac. 7. parte 1. portione 4. qu. 3. Tria in re surrectione considerat. *Pr. recollectionẽ puluerũ, 2. reformationem corporis 3. reunionem animarum, siue animationem*, & loquendo

de

de hoc 3. dicit, suppoſita reformatione corporis fore naturalem animationem, *quia anima eſt perfectio naturalis corporis diſpoſiti, & corpus reformatum, eſt in potentia ſecundum naturalem inclinationem ad animam vt perficiatur ipsà*. Sequitur SVAREZ hanc doctrinam in 3. par. To. 2. diſp. 44. ſec. 5. *modus organizationis, & diſpoſitionis quæ ſit in reſurrectione eſt quidem præter totius naturæ debitum, tamen poſitis illis diſpoſitionibus ratione earum, poteſt dici debita talis animæ vnio*.

9. FRANCISCVS de Mayronis celeberrimus Scotiſta in 4. Diſt. 45. qu. 1. *Reſurrectio tertio modo poteſt dici naturalis, quia ſecundum inclinationem naturalem conuenit animæ rationali, & corpori quod vniãtur, nec eſt eis hoc violentum*. Concludo breuiter, & clare; Reformatio corporis erit ſuper naturalis, ea facta, anima naturaliter informabit, propter ſuam aptitudinem naturalem, Doctrina eſt D. THOMAE in 4. Diſt. 43. qu. 1. art. 1. q. 3. & art. 4. q. 3. ad 2.



CAP.

CAPVT *VII.*

Animã quando a corpore ſeparatur non fieri aliquod totum, & integræ, completæque naturæ, at remanere in eſſe incompleto, eſſe partem, & formam ſicuti erat prius.

1 ABunde ſatis in cap. 5. & 6. hoc dictum, & confirmatum fuit, verum ad tollendum omne dubium, & ad ſtabiliendam veritatem pro ſoluendis futuris argumentis, volo hic clarius, & firmius hoc probare. Tangam etiam aliqua loca ex citatis ad meliorem obſeruationẽ, & memoriam, ſed breuiſſime. D. TH. qu. de An. art. 1. ad 5. *corrupto corpore non perit ab anima natura ſecundum quam competit ei quod ſit forma.* Ergo anima ſeparata eſt forma, ergo pars, & ſubſtantia incompleta, & 1. par. q. 89 art. 1. *natura animæ poſt mortem corporis non mutatur.*

2. Item D. TH. 2. contra Gentes cap 83. & ibi etiã FERR. *Ea quæ variantur circa ſubiectum manens idẽ ſecundum ſubſtantiam, ſunt accidentia*, iſta ſit mea maior, ſubijcio minorem, quæ eſt etiam S. TH. 2. contra Gen. cap. 81. eſſe formam animæ non eſt accidens, *ſunt animæ* inquit S. TH. *ſecundum ſuas ſubſtantias formæ corporum, alias accidentaliter corpori vnirentur*; ergo manente ſubſtantia animæ,

per-

permanebit semper esse formam tanquam prędicatum essentiale.
3. Item 1. p. qu. 76. art. 1. ad 6. *anima humana manet in suo esse cum fuerit a corpore separata*, at eius esse est esse formæ; nam anima secundum suum esse est forma, 2. contra Gen. cap. 68. & 1. p. qu. 76. art. 1. & de spirit. creaturis art. 9. ad 4. *anima secundũ suam essentiam habet habitudinem ad corpus, in quantum hoc est ei essentiale quod sit corporis forma*, ergo non mutatur permanente substantia animæ.
4. CAIET. in 3. p. qu. 6. art. 3. excogitauit quendam modum existendi animæ separatæ, qui a cõmuni opinione discedit, sed fauet proposito meo, *Imaginandum*, inquit, *quod anima separata est semipersona*, Ego dico si, *semipersona* ergo ens incõpletum, non totum, & integrum, alias esset persona. Addit CAIET. *inadæquate, & partialiter subsistens*. vide imperfectionem animæ separatæ, & quam distet a subsistere veri suppositi, & completæ personę.
5. Ego scio hanc opinionem CAIET. communiter non approbari, nam vt notat Auersa q. 59. sec. 1. *Anima in statu separationis nõ acquirit vllũ alium modum positiuum essendi, sed solum amittit modum positiuum vnionis*. Ex vtroque modo dicendi ego deduco argumentum, si est *semipersona*, ergo non subsistet complete; si *non acquirit modum positiuum*
essen-

essendi; ergo subsistit sicuti prius quando erat coniuncta, ergo semper vt forma. CONIMB. 2. de An. cap. 1. qu. 2. art. 2. circa finem, *Anima etiam extra corpus suapte natura est pars hominis*. Ego sic deduco, ergo non est ens integrum totale, sed partiale incompletum, argumento eius quod dicit D. THOMAS in 3. dist. 21. qu. 2. art. 1. *nec corpori sine anima, nec animæ sine corpore inest omnis perfectio quam nata sunt habere, &c.*

6. Item arguo hunc in modum. Aut anima in sui separatione retinet esse formæ, & partis, aut eo amisso transit in esse totius integri, & completi; si dicatur primum habebo intentum, contra secundum, si asseratur, sic arguo. Ens completum, & integræ naturæ alij vnitum non facit cum eo vnum per se, anima separata reunita corpori facit vnum per se cum corpore ergo anima separata non est ens completum, & integræ naturæ, sed pars nempe forma: Maior est communiter recepta, est S: TH. 7. Meta. lec. 13. & 1. p. qu, 51: art: 1. ad 3: ALEX: 7: Met: c: 38: SCOTI quod. 9: litt: A. & in 3. Dist. 22. qu. vnica litt. A. minor propositio sic probatur. Homo resurgens est ita vnũ ens per se, & vnus homo sicuti erat antequã moreretur, ergo Anima reunitur in ratione veræ formæ, informantis, vt fuit vnita prius: videndum id quod obseruat SVAREZ in 3. part. To. 2. disp. 44.

44. sect. 2. *in resurrectione necesse est vt anima informet corpus modo, & causalitate formali, cõnaturali ipsi animæ &c.* S. THO. hoc expressit mirũ in modũ in 4 dist. 44. q. 1. ar. 1. q. 2. in corp. & ad 1. *oportet vt idem numero homo resurgat*, paulo postea explicat modum quo hoc contingit fieri, *anima rationalis esse quod sibi in corpore acquiritur etiam post corpus retinet, & in participationem illius esse corpus per resurrectionem adducitur.* Hic obseruo animã separatam *retinere eße quod sibi in corpore acquiritur.* At hoc est esse formæ, & partis essentialis, vt omnibus constat: ergo dum separatur retinet esse formę. Deinde noto, quod *ad hoc eße corpus per resurrectionem adducitur:* ergo vt participet esse formæ quod non fit nisi per veram, & realem informationẽ: at si anima per separationẽ à corpore trãsiret in esse totius cõpleti, hoc non contingeret, quia non posset amplius informare, & facere vnum per se; ergo remanet semper in esse partis formalis; aptæ ad dandum esse formaliter:

7. RICH. in 4. Dist. 43. art. 4. qu. 3. ad 2. *Anima separata a corpore remanet in eadem natura quam habebat, cum corpori eßet coniuncta.* Eadem prorsus verba habet S. THOMAS in 4. dist. 43. qu. 1. art. 4. qu. 3. ad 2. sed coniuncta erat forma, ergo & separata. Idem RICH. citata dist. 43. art. 3. qu. 2. probat animam non esse causam efficientem

F resur-

resurrectionis, *quia est hominis forma, & per vnionem eius cum corpore constituitur homo, efficiens autem cum forma non coincidunt in idem numero*.

8. SCOTVS in 3. dist. 22. qu. vnica, litt. L. M. Christi animam, & corpus vocat partes humanitatis, etiam in triduo quando erant separata hæc duo inuicem, ergo vere anima separata est pars.

9. DVRANDVS in 4. dist. 43. qu. 1. n. 12. considerat animam prius vnitam postea separatam, & sic ait, *non minorem ordinem, nec minorem inclinationem habet ad corpus anima quæ iam fuit corpori vnita, quam si nunquam fuisset corpori vnita*; Ex quo sic arguo, ex concessis a Domino meo Excellentiss. lib. 1. cap. 2. Anima antequam esset vnita, saltem in priori naturæ, aut rationis erat vera forma, & habebat inclinationem ad corpus, ita concedit Dominus meus, sed anima separata se se habet ad corpus eodem prorsus modo ac si nunquam fuisset vnita, per citatam doctrinam DVRANDI, ergo anima separata est vera forma, & habet inclinationem ad corpus.

10. S. BONAVENT. in 2. dist. pr. art. 6. qu. 2. distinguit animam ab angelo, quia anima ex se, & essentialiter semper est *vnibilis corpori vt viuificet*, *esse vnibile adhæret inseparabiliter quia aptitudo semper inest* HENRICVS quodlib. 3. qu. 15. egregie, & doct. *esse animæ separatæ est esse diminutum*,

& im-

& imperfectum, & sic in eße separato non habet perfectam rationem indiuidui, vel personalitatis, siue eius quod est hoc aliquid, sicut angelus habet; sed diminutum valde: nec habet speciem propriam, nisi imperfectam, quæ habet rationem partis, Nihil clarius a clarisſimo Viro, & nihil verius desiderari poterat. Paulo post *separata habet perfectius rationem formæ, licet sub esse incompleto, quam rationem eius quod est eße hoc aliquid, quia id quod est ex sui natura est alterius informatiua, licet non actu informans*. Et quodlib. 7. qu. 13. *Ideo anima separata, quia naturaliter nata est eße in alio, vt in suo perfectibili, quodammodo imperfecta est, id quod est, donec sit in illo.* Hinc apparet quantum distet anima separata a ratione totius completi, & integræ naturæ.

11. SCOTVS in quæstionibus quas reportationes vocant: in pr. dist: 23. q. vnica *Anima licet sit separata, adhuc est apta nata communicari in ratione formæ*. Sed si esset aliquid ens completum complete subsistens ita communicari non posset: quia vt ibi subdit SCOTVS *Persona est incommunicabilis*.

12. D. THOMAS quæst. de Anima art. 1. ad 4. *licet anima humana per se poßit subsistere, non tamen per se habet speciem completam, vnde nõ poßet esse quod animæ separatæ constituerent vnum gradum entium*: Et art. 14. ad vlt. *licet anima per se poßit esse, non ta-*

men per se habet speciem, cum sit pars speciei. Non ergo dicendum animam separatam esse aliquod totum, at remanere in esse incompleto partis.

13. Adduco etiam alium locum D. THOMÆ De Spir. creat. art. 9. ad 4. in illis verbis. *De ratione huius animæ inquantū est hæc anima est quod habeat habitudinem ad hoc corpus.* Ex quo ita arguo, quod anima sit hæc numero dependet ab habitudine ad hoc corpus numero per S. THOMAM, anima separata non solum est anima, sed etiam est hæc numero, vt patet; ergo anima separata habet habitudinem ad hoc corpus numero, ita vt non ad aliud. Confirmo per eundem S. THOMAM qu: De Anima art. 3. ad 15: *Animæ separatę non differunt specie sed numero, ex eo quod sunt tali, vel tali corpori vnibiles.* Vt ergo animæ separatæ retinent distinctionem numericam, ita etiam retinent *vnibilitatem* vt sic dicam cum tali, vel tali corpore: Similis doctrina habetur 2. contra Gentes cap. 75. & 1. p. qu. 75. art. 7. ad 3. Colligitur quin etiam ex 2. contra Gentes cap. 81. vbi in animabus separatis concedūtur commensurationes ad corpora, vt supradictum fuit cap. 5: n: 2. Legendus omnino est CAPREOLVS in 2. dist. 3: q. 1: art: 3: vbi respondet arg: SCOTI contra quintam.

14. Obijcietis D. ANTONINVM in P. P. Trac.

P. cap.

Tract. P cap. 6 n. 1. *Destructo corpore destruitur anima inquantum forma; non autem inquantum est substantia, idest spiritus*, Resp. tamen cum distinctione; concedo destrui formam quoad *actu informare* non quo ad *aptitudine informare*, hoc posterius sufficit; non requiritur vnio, sed vnibilitas, & præter supra allata adduco HERVEVM quol. 8. qu. 4. *Aptitudo ad vnionem inest formæ per essentiam*, hoc non dicitur de vnione, verum de aptitudine ad vnionem.

15. Concludo cum doctrina recentiorum, a nemine, quod sciam, reprobata; RVVIVS de An. separata qu. 7. *capacitas siue aptitudo informandi nō est in anima aliq; ex natura rei ab eius entitate distinctum.* Hinc deduco, ergo dum manet entitas animæ manet etiam ista aptitudo, ergo semper debet appellari forma, & hoc voluere duo supra citati S. TH. 1. p. q. 29. art. 1. ad 5. & S. BONAVENT. in 2. dist. 1. art. 6. q. 2.

Finis Primæ Sectionis.



PRÆ-



PRÆFATIO

SECVNDÆ SECTIONIS.



IVuat in hac 2. Sect. constituere ſeptem Theoremata, quæ probata reddent faciliores reſponſiones adducendas ad argumenta futura ſoluenda. Procedam ſicuti in præcedente, ad conciliandam fidem afferam grauiſsimorum ſcriptorum auctoritates, probabile enim eſt inquit Ariſt. 1. Top. cap. 1. quod videtur ſapientibus, vel omnibus, vel plurimis, vel maxime probatis; Verum hoc non eßet ſatis, accedet nominis auctoritati firmitas rationum, nam de illis ſcriptoribus enunciari poteſt quod olim de ARIST. AVERROES, credi debent nunquam aliquod dixiſse ſine forti probatione: præcipue quando omnes, aut

1. de Gen. c. 38.

quam-

quamplurimi eorum in idem conueniunt, tunc ab illis recedere non caret nota temeritatis. Vsurpare mihi liceat illud ARIST. 1. Eth. cap. 8. Considerandùm est non solum ex conclusione, & ex ijs quibus ratio constat, verum etiã ex ijs quæ de ipso dicuntur, cum vero enim consonant omnia, quæ in re insunt, a falso cito dissonant, atque discrepant. *Auctores graues ideo maiorem merentur fidẽ quia, vt ait ALBERTVS,* ex potestate scientiæ, & artis depræhendere nouerunt. *Me valde mouet illud PLATONIS in Cratylo circa finem,* Euidentissimo argumento id esse tibi potest haud a veritate aberrauisse nominum auctorem, quod si male sensisset nequaquam sibi ita omnia consonarent. 1. Top. Trac. 1. cap. 2.



SEC.



SECTIO SECVNDA

PRIMVM THEOREMA.

Illa forma ille finis, vel actus qui ex suo genere vt sic quantum ad se ex natura sua absolute, & simpliciter produci, vel vniri potest vi naturalis agentis, et per media naturalia est naturalis; & quamuis facta ab extrinseco aliqua suppositione, non possit tunc produci aut vniri viribus naturæ, adhuc tamen remanet in suo esse videlicet formæ, finis, vel actus naturalis, vt erat prius, & ad illum esse potest inclinatio naturalis.



RIOREM partem probo ex S. Th. 27. de Veri. art. 2. ita declarat ibi S. Doctor finem naturalem; *Homo secundum naturam suam proportionatus est ad quendam finem, cuius habet naturalem appetitum, & secundum naturales vires operari potest ad consequutionem illius finis,* Ecce quomodo iudicatur esse finis naturalis, si age-

possimus ad illius consequutionem per vires, & media naturalia: si non possimus vnquam, & vllo modo per media naturalia consequi iudicatur finis supernaturalis ex S. THOMA. Idem S. TH. 3. p. q. 9. art. 2. ad 3. *visio seu scientia Beata est quodammodo supra naturam animæ rationalis, inquantum propria virtute ad eam peruenire non potest.* FERR. 3. contra Gentes Cap. 51. loquendo de appetitu naturali consequente naturam, per modum ponderis dicit, *inconueniens est aliquid appeti naturaliter in quod virtute naturæ non possit perueniri, quia forma naturalis non inclinat ad id quod naturæ facultatem excedit*. Finis ergo, & forma naturalis iudicatur ex eo quia est talis vt quoad se viribus naturę acquiri possit. CAIET. 1. p. q. 12. art. 1 *natura non largitur inclinationem ad aliquid ad quod tota vis naturæ perducere nequit* D. THOM. 1. p. q. 23. art. 1. *alius est finis naturæ creatæ proportionatus quem res creata potest attingere secundum virtutem suæ naturæ*, & 1. p. q. 62. ar. 1. iudicat finem naturalem ex eo quia *acquiri potest virtute naturæ* p. 2. q. 109. art. 5. arguit S. THOM. in arg. 3. *quælibet res naturalis per sua naturalia potest consequi finem suum.* Resp. ad 3. *obiectio illa procedit de fine homini connaturali:* ergo vult S. THOMAS ad cōsequendum finem naturalem media esse debere naturalia, ita simpliciter loquēdo. Videndus ME

DINA 1. 2. q. 3. art. 8. *Potentia naturalis est quæ potest reduci ad actum per agens naturale*. Ex hoc probant Thomistæ visionem Dei in patria non esse finem naturalem. Probatur etiam in anima intellectiua, quę est forma, & actus naturalis, in se quia vt dicit egregie MOLINA 1. p. q. 12. art. 1 disp. 2. *creatio animi humani est debita materiæ vltimo dispositæ ad animum humanum*. Idem docet SVAREZ de Deo Tract. 1. lib. 2. cap. 9. n. 3, & agens naturale disponit corpus pro vnione cum anima, & ideo est vera causa hominis: quod non esset si anima in se non esset forma naturalis, vt optime docet FERR. 2. contra Gentes Cap. 89. ita concludo primam partem Theorematis, quod actus ille sit iudicandus naturalis quem possumus sic absolute, & simpliciter loquendo acquirere viribus naturæ.

2. Probatur altera pars, scilicet quod adhuc permaneat ille actus in esse naturalis formæ, quamuis aliqua facta suppositione ab extrinseco non posit amplius viribus naturæ acquiri. Probo per S. THOM. in 4. dist. 43. qu. 1. art. 1. in solut. 3. quæst. *est aliquis motus cuius terminus est natura, sed non principium, sed quandoque aliquod supra naturam, sicut patet in illuminatione cœci, quia visus naturalis est, sed illuminationis principium est supra naturam*, hic noto, visum vocari naturalem,

quia

quia ex se est forma acquisibilis per naturam, & naturalis oculi perfectio, tamen supposita cœcitate non potest nisi per miraculum introduci, quando vero sic miraculose redditur adhuc vocatur natura, vt terminus talis actionis miraculosæ, cuius principium est supernaturale. Imitatur D. THOMAM ZVMEL in 1. par. qu. 12. art. 1. qu. 2. ad 5. *visus naturalis est homini, sed quod cœco restituatur requirit supernaturalem virtutem*. Permanet ergo vt forma naturalis, licet in eum statum deuenerit vt non possit amplius reuniri, vel reproduci viribus naturæ: Hoc conuenit animæ separatæ post hominis interitũ, est adhuc vera forma naturalis humani corporis, quamuis non nisi per miraculum possit tunc reuniri mortuo. Non est prætermittenda Doctrina RVVII 1. phys. tract. de materia qu. 7. Dubio 4. *esse aliquod impossibile respectu alicuius potentiæ, vel appetitus duobus modis contingit, vel ab intrinseco, quia non habet proportionem cum eo, vel ab extrinseco, quia ab aliquo extrinseco impeditur, ne illud consequatur*. Ipse applicat formæ prius habitæ, & corruptæ, *quam materia potest recipere quãtum est ex parte sua, quia eãdẽ habet proportionem talis forma cum potentia eius, quam habebat prius quam reciperet eam, & ideo eadem inclinatio, idemq; proinde appetitus ad illam permanet; impossibilitas ve-*

ro naturalis eam iterum recipiendi prouenit ab extrinſeco, quia non poßunt redire eædem numero diſpoſitiones, per virtutem agentis naturalis. Hoc ego poſſum dicere longe magis de Anima ſeparata, quæ manet eadem quæ prius, & cum eadem habilitate; ſolum ab extrinſeco accidit quod naturaliter reuniri non poſſit, ob corporis ſcilicet indiſpoſitionem: actus enim naturaliter fieri debet in patiente diſpoſito 2. de An. 24. Credo hanc doctrinam de anima ſeparata quoad intrinſecam, eius habilitatem aſſignatam fuiſſe a S. THOMA 4. contra Gentes Cap. 79. *oſtenſum eſt animas hominum immortales eſſe, remanent igitur poſt corpora, a corporibus abſolutæ; manifeſtum eſt etiam quod anima corpori naturaliter vnitur, eſt enim ſecundum ſuã eßentiam corporis forma;* quis non videt ab intrinſeco animam ſeparatam proportionari corpori; tanquam naturalem formam? ab extrinſeco tantum impediri ne vniatur, ob corporis indiſpoſitionem, vt obſeruat idem S. THOM. in 4. diſt. 43. q. p. art. 1. in ſolutione queſt. 3. & art. 4. q. 3. Nunc eſt doctrina communiter recepta, reiteratam vnionem animæ cum corpore in reſurrectione eſſe naturalem quoad *ſubſtantiam, & eius de rationis cum prima vnione*, quamuis reſurrectio fieri non poſſit naturæ viribus, ob corporis indiſpoſitionẽ, ita Auerſa q. 59. ſect. 1. in fine

CONIB. de Anima separata Disp. 2. art. 3. SVAREZ in Metaph. Disp. 48. sec. 3. n. 10. & in 3. p. To. 2. disp. 44. sec. 5. & hoc remanet satis confirmatum supra sect. Pr. cap. 6.

SECVNDVM THEOREMA

Potest esse aliquid naturale quoad inclinationem, supernaturale quoad assequutionem.

EST SCOTI q. 1. prologi litt. E *concedo Deum esse finem naturalem homini, licet non naturaliter adipiscendum; sed supernaturaliter*. Sequitur SOTO in 4. dist. 43. qu. 2. art. 1. *est appetitus naturalis quem nobis natura inseruit, atque ideo finis naturalis est, quem naturaliter appetimus, licet consequutio illius, & adeptio non sit nobis naturalis*. Fortasse fauet D. AVG. 4. contra IVLIANVM cap. 3. *Neque omnes naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus, nisi possemus*, en appetitum naturalem beatitudinis, audiamus modum assequendi, *sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest nisi per Christum*. Modus ergo assequen-

di est per medium supernaturale. SCOTVS, & SOTO hoc explicarunt in visione beata ad quam, vt dicunt, naturali appetitu inclinamur, & tamen non possumus viribus naturæ assequi. Ego hoc omitto tanquam in controuersia positum, & explico meum theorema in alijs clarioribus exemplis, saltem concessis ab omnibus.
SCOTVS in 3. dist. 4. q. vnica litt. G. adducit exemplum petitum a Theologia, de Beatissima Virgine, & conceptione, videat ibi qui vult.
2. Physica magis attingam; materia ad formam in ea corruptam habet potentiam naturalem passiuam, pro inclinatione substantiali, non tamen assequi potest illam formam, & reduci in actum vi agentis naturalis, sed solus Deus potest formã corruptam eandem numero reproducere. Istam doctrinam tradunt CONIMBR. 2. de Gen. cap. x1. qu. 1. art. 4. ad 4. RVVIVS, in physic. Trac. de materia quæ. 7. & reddit rationem, quia materia ab intrinseco est apta recipere illas formas sicuti erat prius, cum hæc potentia sit substantialis materiæ, ab extrinseco solum impeditur; ne illas possit recipere, desunt dispositiones, *At extrinsecum*, inquit, *non tollit proportionem obiecti cum potentia, neque inclinationem eius, quæ est appetitus*. Subtiliter SVAREZ Disp: 5. sec. 6. n. 12. dicit vnam materiam numero esse capacem illius for-

mæ quæ actu est in alia materia, & tamen non est vllũ agẽs naturale quod possit hãc formã de sua, in illam aliam materiam transferre. Cum illa sententia CONIMB. & RVVII concordant. Auersa qu. 20. sec. 6. & HVRTADVS in Physica Disp. 2. sec. 3. n. 36. *materia prima respicit formã corruptam tanquam perfectionem sibi connaturalem*. tamen viribus naturæ recuperari non potest; itaque hæc doctrina est communis inter recentiores.

3. Obijcietis fortasse FERR: 2. contra Gentes cap. 60 *materia non est in potentia naturali ad eam numero formam, quam amisit*. Imo addit *forma postquam desijt esse in materia non est amplius forma naturalis*. Imitatur, & laudat hanc Doctrinam BANNES 1. p. qu. 76. art. 1. Dub. 5.

Sed resp. nec FERRA: repugnare Distinguendũ. Aut consideramus potentiam in ordine ad actũ quem recipit, aut per respectum ad agens a quo recipit. Illo priore modo est potentia naturalis ad actum sibi connaturalẽ etiã ante habitum, & amissum, posteriore modo appellatur aliquod supernaturale. Si comparemus corpus cum anima, potentiæ naturali receptiuæ respondet actus naturalis, videlicet materiæ forma, at vnio ab agente supernaturali debet fieri: Responsio educitur ex dictis ab eodem FERRA. 4. contra

Gen-

Gentes cap. 81. *Resurrectio naturalis dicitur quantum ad finem quia terminatur ad vnionem animæ, & corporis, quæ quidem vnio est secundum naturalem animæ inclinationem absolute loquendo* . His verbis considerat potentiam passiuam animæ in ordine ad actum vnionis, & agnoscit naturalitatem . Considerat deinde respectum ad agens, quod in hac vnione est supernaturale, & dicit, *licet facta suppositione quod sit per mortem separata a corpore non possit iterum materiæ virtute naturalis agentis vniri quapropter dicitur resurrectio supernaturalis esse ex parte agentis*: Ecce ergo naturalitatem in *inclinatione*, super naturalitatem in *assequutione*.

4\. Repræsentat hoc Rada apertissime To. 1. Contro. 1. in fine vbi respondet argumentis principalibus ad 6. *aliqua natura potest inclinari ad aliquem actum, qui causalitati agentis naturalis non subsit*, & dat hoc exemplum de anima separata sic dicens, *& patet aperte, quia anima separata naturaliter inclinatur ad corpus, & tamen non potest reduci ad actum per naturalem aliquam potentiam* . Sequuntur etiam Thomistæ, e quibus MEDINA P. 2. qu. 3. art: 8. §. *certe anima separata, &c.* vbi etiam addit, *cæcus naturaliter desiderat videre, sed visus ei non potest naturaliter restitui*. Idem de cœco dicit ZVMEL 1. p. q. 12. art. 1. Disp. 2. ad 5. vt dixi in primo Theorm. *Visus naturalis est*

homini

homini, sed quod cæco restituatur requirit super naturalem virtutem. Sic credo esse probatum Theorema, posse nos inclinari naturaliter in aliquem actum, quem assequi non possumus naturaliter.

5. Ad vberiorem doctrinam adduco id quod scribit ARGENTINA, in 4. Dist. 43. qu. 1. art 2: ad 7. *semper viuere naturaliter appetitur ab anima rationali etiam quando est coniuncta corpori corruptibili, & tamen hoc non potest sibi competere per naturam*. Deduco etiam ex illa suppositione quam facit ARIST. 1. de Cœlo T. 79. arguit contra dicentes mundos plures dari. Si aliqua pars nostræ terræ poneretur in alio mundo, haberet inclinationem naturalem ad centrum nostri mundi, vt ibi ARIST. & tamen per naturam illuc non posset ferri;

Volo aliud afferre exemplum cum MEDINA p. 2. qu. 3. art. 8. inclinamur naturaliter in beatitudinem naturalem, ita S. THOMAS p. 2. qu. 10. art. p. tanquam ad finem proportionatum naturæ creatæ 1. p. qu. 23. art. p. & tamen facta suppositione quod homo sit lapsus in peccatum, & sit in statu, vt vocant, naturæ lapsæ, non potest viribus naturæ sibi acquirere beatitudinem naturalem: sed indiget auxilio gratiæ, vt concludunt Theologi in 1. 2. ad q. 109. art. 1. & 2.

6. Obseruat etiam ZVMEL in 1. p. qu. 62. art. 1.

quęst. 1. Dæmones appetere naturaliter beatitudinem naturalem in qua fuerunt creati, & tamē per peccatum amissam, non posse consequi naturaliter: Retinent nihilominus desiderium naturale illius beatitudinis naturalis, secundum S. THOMAM 1. p. q. 60. art. 4. ad 3. ita anima poterit naturaliter inclinari ad corpus cui erat prius vnita, quamuis facta supppositione mortis, & separationis a corpore, per vires naturæ reuniri non possit; legendus FERR. 3. contra Gentes cap. 51. ad primum in oppositum, & D. TH. in BOETIVM de Trin. q. 6. art. vlt. ad 5.

TERTIVM THEOREMA

In causa naturali nullum est actiuum principiū, aut potentia actiua, quæ possit vnire animam separatam corpori.

EST S. TH. 4. contra Gentes cap. 81. circa finem. *Sed principium eius actiuum non est naturale, sed sola diuina virtute causatur.* Itē in 4. Dist. 43. qu. 1. art. 1. in qu. 3: *nullum actiuum principiū resurrectionis est in natura* SOTO in 4. dist. 43. q. 1. art. 3. *Resurrectio corporum respectu principij actiui supernaturalis est.* D. TH. in opus 3: part:

2. cap. 154, *Resurrectio non fiet per actionem naturę, sed resurgentium reparatio sola virtute diuina fiet.* Similiter SCOTVS in 4. dist 43. qu. 4. DVRANDVS in 4. dist. 43. q. p. n. 12. & D. DIONYS. de Diuinis nom. cap. 6: appellat resurrectionem *supra naturam visibilem, non supra omnipotentem*, indicans a naturali agente non posse fieri, sed a solo Deo. Idem habet LACTANTIVS 7: Diuinarum inst. cap. 23. *resurgent, & a Deo corporibus induentur*. Videat qui plura cupit apud SVAREZ in 3: p: To: 2: disp: 44, sec: 6: Hinc fit vt resurrectio dicatur super naturalis: nam ab agente supernaturali fit.

QVARTVM THEOREMA

In corpore, & in cineribus ante reformationem est potentia passiua naturalis ad animam recipiendam, sed remota, Post reformationem proxima.

EST RICH. in 4. dist. 43. art. 4. q. 3. in Corp. *Aptitudo materiæ ad formam, aut est remota, aut proxima; si remota sic in pulueribus corporum humanorum, & in materia cuiuslibet generabilis, & corruptibilis est naturalis aptitudo ad susceptionem a-*

nimæ rationalis. DVRANDVS etiam in 4. Dist. 43. qu. 1. n. 6. vt credo huc respexit, *formam vniri materiæ non implicat contradictionem, imo habet magnam aptitudinem, cum forma sit de se nata perficere materiam, & materia sit de se nata perfici a forma*, & quia hoc applicat corporibus resurgentiũ, ideo absque dubio loquitur, ex parte materiæ de aptitudine remota. Ita etiam interpretor. S. TH. in 4: dist. 43. qu. 1. art. 1. in solu. q. 3: *Vnde & si ponatur aliqua potentia passiua ex parte corporis seu etiam inclinatio quæcunque ad animæ coniunctionem non est talis, quę sufficiat ad rationem motus naturalis*. Ista est potentia passiua remota, nam ad faciendum motum naturalem requiritur proxima potentia, & inclinatio, & deduco ex 8. phy. T. 32: in terra est potentia remota ad ferri sursum; ita THEM. citato T. 32. nam de graui potest fieri leuis, & tunc proxime moueri sursum, at si terra permaneat terra solum cum hac potentia remota, non mouebitur sursum naturaliter, requiritur potentia proxima, quæ aderit tunc quando actu erit ignis, & leuis; ideo resurrectio respectu corporis, & cinerum non potest dici naturalis, quia ista est potentia solum remota, requiritur proxima, quæ proprie dicitur inclinatio naturalis, vt ait RICH. in 4. dist. 43. art. 4. q. 3. ad p. Potentia enim remota non dat nomen

men rei vt ait ARIST. 9. Met.t. 12. obseruante ibi ALEX. Aphrod. Co. 11. Declaro sic melius. *Potentia remota est propter priuationem præparationis*, vt ait ALB. 3. de An: Trac. 2. cap. 8. proxima *quando nihil eorum quæ sunt in materia prohibet rem fieri, statim vna actione*, vt ait S. TH. 9. Met. lec. 6. Applico proposito meo; Illi cineres non habēt potentiam proximam ad animam, quia aliquod eorum quæ illis insunt prohibet illos cineres fieri animatos; & hæc est naturalis indispositio, at si præparentur cineres habebunt potentiam proximam, quia tunc nihil eorum quæ illis inerunt prohibebit quin animati fiāt, præparantur autem per miraculum a Deo supernaturaliter. Potentiam remotam, de qua loquimur in tali materia concedit etiam SVAREZ in 3. par. To. 2. disp. 44. sec. 7. *si consideremus causam materialem licet in illa maneat capacitas eiusdem formę, tamen illa est valde remota*, &c. Clarissime RVVIVS de Ani: separa. q. 7. *excogitare possumus debitum commune, & remotum, quo pacto dicimus materiæ secundum se consideratæ debitam esse informationem, vel receptionem formæ; quia potentiæ naturali aliquo modo debetur naturalis actus*. Fortasse etiam SCOTVS ita explicari potest in 4. dist. 43. q: 3: litt: H: I. in illis verbis. *Principium potentiale semper manet idem, &c.*

Item

Item probo melius non esse in illis cineribus potentiam proximam ad animam recipiendam. THOMAS ab Argentina in 4. Dist. 43. q. 1. art. 2. concl. 3. *non potest immediate de pulueribus terræ formari corpus humanum, vt formabitur in resurrectione mortuorum*. Illud non posse immediate formari indicat non esse potentiam proximam, vt patet ex dictis in hoc Theoremate de mente S. THOMÆ. Pergit Argentina. *Resolutis humanis corporibus in puluerem terræ, huiusmodi puluis non habet habilitatem in se vt immediate de ipso formentur humana corpora, &c.* Ita interpretandum censeo FERR. 2. contra Gentes cap 60: circa finem. Ita intelligendus SOTO in 4. dist. 43. q: 1: art: 3: CAPREOLVS etiam, qui in 4. dist: 43. q. 1. art. 3: ad 3. SCOTI contra primã conclus. sic dicit, *forma corrupta, vel destructa non amplius remanet in potentia naturali materiæ in ordine ad actum naturalem; licet remaneat in potentia obedientiali materiæ in ordine ad Deum*. Semper intelligendus de potentia proxima naturali: Quod autem CAPREOL. non neget in tali materia potentiam remotam patet ibidem ad 5: SCOTI, erat propositio SCOTI adducta quinto loco *Potentia ad formam semel productam adhuc remansit in materia, destructa illa forma*, Respondet CAPREOLVS *si loquamur de potentia materiæ quoad*

suum

suum absolutum antecedens est verum. Et ita concedit in materia aliquam potentiam ad formam semel amissam, quæ non est nisi remota ex dictis: negata solum potentia proxima, vt ibi ad 3. videantur recens notata ad HENRIC. quodlib. 11. q. 14.

QVINTVM THEOREMA

Anima separata non habet virtutem actiuam naturalem, ad se se vniendum corpori, etiam Diuinitus reformato.

POnitur contra HENRICVM, qui Quodlib. 11 q. 14: dixit, *animam corpori disposito posse sese vnire effectiue*. Reprehenditur a SCOTO in 4. dist: 43. q: 3: litt. N: O. a CAPREOLO in 4. dist. 43 q: 2: arti 3. vbi resp. ad arg. HENRICI contra 2. refutat eam FRANCISCVS de Mayronis in 4. dist: 45. q. 4: RICH: quãuis problematice hoc sustineat, tamẽ magis inclinat cõtra HENR: vt patet in 4. dist: 43: art: 3: q: 2: CYRILLVS etiam ALEX: in libello contra Anthropomorphitas cap: 2: significat a Deo immissam

missam animam in corpus, non illam sese vniuisse; Eius verba. *Quocirca anima quidem in animal immissa est, ineffabili Dei vi, & efficacia*, Deus ergo immittit, & vnit animam, non anima vnit se ipsam actiue. *CONINB.* visi sunt aliquando sequi HENRI. vt 1. phys: cap. 9. q. 11: art: 3: at in Trac. de Anima separata Disp: 2. art. 2: sic dicunt: *anima rationalis effectiuum influxum non habet in sui vnione ad corpus, (is enim propria est efficientis causalitas) sed formalem*,

Hoc etiam docet e recentioribus Auersa q: 14: sec. 3. & *OCHAM* in 4: q: 10: litt: E quamuis fateatur se non habere rationem efficacem ad probādum quod anima non possit sese reunire corpori, tamen quia *oppositum* inquit *est magis consonum dictis Sanctorum*, ideo adhæret opinioni communi contra HENR. Hanc eandem sententiā, vt meliorem, ego mihi sequendam statuo in hac disputatione:



SEXTVM THEOREMA

In anima separata est passiua, naturalis potentia, ad posse vniri Corpori reformato, per actionem supernaturalem Dei.

EST MARSILII in 4. q. 13. art. 1. couclus. 4. *resurrectio potest dici naturalis passiue ex parte animę, habentis tendentiam naturalem ad corpus* - patet, quia vt sic passum confert vim, quia vt dictũ est ab Aug. anima habet naturalem tendentiam ad Corpus. Ista est potentia passiua, quia est ad *vniri*, ab alio non ad se *vnire*, & quod talis potentia esse possit in substantijs separatis infra Deum cõstat ex S. TH. de spiritual. Creat. art. 1. in corp. & ad 1. item in p. p. q. 50. art. 2. ad 3. ex EGIDIO in 2. dist. 17. in pr. eius parte in illa quæstione, qua quærit de animæ compositione: & est vltima illius primæ partis: Idem ait FICINVS lib. 5. Theolog. cap. 13. *Merito creatura non est ipsum esse suum, quia ipsa suus actus esse nequit, cum habeat in se potentiæ passiuæ non nihil immistũ, &c.* Fortasse ad hoc respexit AVER. lib. 3. de An. c 5. in solut. 3. quęst. quando dixit, *nulla forma est liberata a potentia simpliciter nisi prima forma, &c.* Ratione huius potentiæ passiuæ anima est vnibi-

lis corpori, & ordinatur in totum, vt ait S. TH. 3 contra Gentes cap. 26. *Materia, & forma sunt propter speciem*, species autem in toto est; nõ in parte, ita D. TH. quæ de An. art. 1. ad 4. Optime ALENSIS in secunda parte q. 62. mem. 6. *anima ordinatur secundum esse totius in vniuerso.* Similiter S. TH: 1. p. q. 65. art. 2. & apertissime 4. contra Gentes cap. 35. *Istud esse ordinabile in totius speciem arguit in anima separata potẽtiam passiuam.* Item arguo ex S. THOM. q. de De Anima art. 21: *Anima separata quando coniungitur corpori suo, cuius est forma naturalis, aliquam perfectionem consequitur*, ergo ad hoc habebat potentiam passiuam, aliter non vere diceremus illam perfici, saltem negari non potest quod in resurrectione anima acquirat aliquem modum positiuum vnionis, quo priuata fuerat in separatione: Ostendit hoc idem verissima doctrina SVAREZ in 3. par. To. 1. disp. 8. sec. 2. *cum anima vnitur corpori in resurrectione necesse est vt aliqua mutatio in illa fiat, vel in corpore, vel in vtroque, illud autem non est aliud quam modus substantialis cõiunctionis.* Significauerat hoc idem de mutatione partium quæ vniuntur RICHAR. in 3. dist. 1. art. 1. qu. 1. Volo hoc concludere cum eodem SVAREZ in Metaph. disp. 13. sec. 9. n. 13. *Tota efficientia agentis vniendo formam termina-*

tur

tur proxime, & formaliter ad formam, vt ad terminum actionis, ita vt in forma faciat aliquod nouum. Hoc indicat potentiam passiuam formę quæ sic recipit, dum vnitur. Est tamen potentia passiua, non corruptiua sed perfectiua, vt quando intellectus recipit species 2. de an. 58. 3. de An. 28. Ideo non requirit in anima materiam ex qua sit, quia materia est causa mutationis corruptiuæ, cũ corruptione termini a quo: 2. de Gen. 51. & 7. met. t. 22. sed sufficit animam non esse actum purum, & componi ex potentia, & actu.

SEPTIM. ET VLT. THEOREMA

Potentia naturalis passiua, quam habet anima separata ad posse vniri cum corpore est proxima, non remota, & ideo est potẽtia propinquior quam quæ cinerum ad animam.

CRedo esse D. THOMÆ in 4. dist. 43 q. 1. art. 4. qu. 3. ad 2. *Anima separata a corpore manet in eadem natura quam habebat cum corpori eßet coniuncta, quod de corpore non conuenit; & ideo non est simile.* Concordat RICH. ijsdem pene

verbis, in 4. dist. 43. art. 4. qu. 3. ad 2. erat arg. 2. *maiorem perfectionem recipit materia corporis humani per animam, quam è conuerso; ergo cum anima separata naturalem habeat inclinationem ad corpus multo fortius illi pulueres, qui sunt materia corporũ humanorum naturalem inclinationem habent ad animã* Ecce argument. Resp. RICHARDVS ibi ad 2. *Dicendum quod non est simile, quia anima separata a corpore remanet in eadem natura quam habebat cum corpori eßet coniuncta, corpus autem non sic.* Et pergit in resp. ad 3. *anima naturalem inclinationem, habet ad illos pulueres, determinate, quamuis non è conuerso.* Sequitur eandem doctrinam SOTO in 4. dist. 43. q. 2. art. 5. § ad secundum; *Ad 2. respondetur quod cum anima separata a corpore eadem perseueret, nihil mirum si eandem naturam, ac subinde eandem affectionem ad corpus retineat, quod non accidit corpori.* Ex quibus auctoritatibus sic deduco argumentum Potentia, & inclinatio maior inclinatione remota est propinqua, inclinatio animæ separatæ ad cineres humani corporis est maior inclinatione remota, ergo est propinqua, maiorem credo negari non posse, nam si discedimus a remoto tendimus ad propinquum, & ad proximum, Minor sic probatur. Inclinatio animæ ad cineres est maior inclinatione cinerum ad animam ex D. TH. RICH. & SOTO, ergo maior

ior inclinatione remota, nam cineres ad animam habent ſolum potentiam remotam vt ſupra in 4. Theoremate.

Item ſic probo. Anima ſeparata manet in eadem natura quam habebat cum eſſet coniuncta, ex dictis, ergo in eadem potentia, at potentia aut eſt natura aut oritur a natura: ſed tunc erat in potentia proxima, immediate actuatiua, imo actuans, ergo ſeparata remanet, quantum ad ſe, in proxima aptitudine, & potentia. Vltimo probo ex D. THOMA 9. Metaph. lec. 6. vt citaui ſupra theo. 4. Quando nihil eorum quæ inſunt rei prohibet aliquid fieri, eſt potentia proxima, in anima ſeparata (quantum ad illam ſpectat) nihil eſt quod impediat vnionem cum corpore; impedimētū enim eſt extrinſecū ex parte corporis, ergo anima ex ſe eſt in potentia proxima. D. BONAVENT. in 4. diſt. 43. art. P. quæſt. 5. vocabat animæ *deſiderium*, ſolum dicit requiri corporis reformationem, vt vniatur anima, nam *indiſpoſitum corpus intrare non poteſt*, inquit HENRI. quodl. 11. q. 14. Hoc eſt animam, alias ex ſe promptiſſimam ab extrinſeco ſolum impediri. Expreſſit hoc SVAREZ in ſæpius citata diſp. 44. ſec. 5. modus organizationis, & diſpoſitionis quę fit in reſurrectione *eſt præter totius naturæ debitum, tamen poſitis illis diſpoſitionibus, ratione earum poteſt*

dici

dici debita talis animæ vnio. Sufficit ergo disponere materiam, anima enim est semper ex se præparata ad vnionem proxime.

Finis Secundę Sectionis.



PRÆFATIO
TERTIÆ SECTIONIS.

PRopositum meum in hac sect. 3.*est obseruare aliqua dicta Excellentissimi Collegæ mei, quæ habentur in eius primo Libro de* Rationalis animæ varia propensione. *Præcipue argumentis ibi allatis contra naturalem inclinationem animæ separatæ ad corpus respondere : ne mentes, minus fortasse solidioris philosophiæ compotes, hæreant in ambiguo. Vere dixit* 7. eth. cap. 2. *ARIST.* facta ratiocinatio dubitatio euadit; vincta enim mẽs est, dũ stare quidẽ

non

non vult, propterea quod non placet quod conclusum est, quia tamen quomodo soluat non habet, progredi non potest, *& alibi*. Soluere non est, cum nodus ignoretur, sed intellectus hæsitatio manifestum hoc de re facit, quatenus enim dubitat eatenus simile quiddã ligatis patitur, vtroque enim modo impossibile est ad vlteriora procedere. *Hi nodi sunt ostendendi, & pro viribus soluendi*: confirmantur quæstiones, & problemata per dissolutionem instantiarũ, inquit *SIMPLIC. & ARIST. 7. eth. cap.* 2. Solutio nihil aliud quam inuẽtio est. *Inueniam ergo veritatem, & alijs persuadebo si opposita soluere mihi contigerit. Conabor vero eas afferre solutiones quas* ad orationem *appellat ARIST.*

3. Met. T. 1.

8. phys. co. 16.

2. elenc. c. 7.



SECTIO
TERTIA.

1 IN pag. 2. significat Dominus meus se opinari esse quatuor genera animarum, De eius sententia nihil audeo dicere, verba sane aliquid tale significant: dicit enim. *At vero subcælestium animarum quęcunque continentur infra rationalem, motiua, sentiens, vegetans*, idem subindicat pag. 3. *vegetali, sentienti, motiuæque animæ*, in hac re si intendit Dominus meus asserere genera animarum esse vere quatuor distincta substantialiter, vt verba videntur significare, aperte contradicam, nam sentio genera animarum esse tantum tria, cum S. TH. 1. p. qu. 78. art. 1. citari solent pro opposita sententia EGIDIVS, & CAIET. vt a TOLETO 2. de An. cap. 3. q. 6. circa finem, & a RVVIO 2. de An. cap. 3. Trac. de numero animarum, & animatorum q. p. sed quicquid hi dixe-

dixerint, præualere debet communis reliquorũ sententia, animarum genera esse tria: ita recē-tiores pene omnes, TOLETVS, & RVVIVS locis citatis. CONIMB. 2. de An. cap. 3. q. 2. in fine. Auersa q. 46. sec. 4. Imo EGIDIVS in 2. de An. in expositione T. 31. aperte fatetur esse tria genera animarum FERR. 2. de An. q. 5. ad prim. IAVELLVS 2. de An. q. 13. D. TH. 2. de An. lec. 5. vbi conatur reddere rationem cur sint quinque genera potentiarum cum non sunt nisi tria genera animarum: Idem docet Flandria in comm. in lectiones D. TH. in 2. de An. Trac. 2. cap. P.

Hic ternarius numerus animarum ex ARIST. aperte colligitur, in 2. de anima T. 31. *Secundum vnumquodque quærendum quæ nam sit vnius cuiusq; anima, vt quę Plantæ, quæ hominis, aut bestiæ.* Ecce tres tantum animas commemorat, & in 2. de Gen. Anim. cap. 3. agnoscit pariter tres animas, *vegetalem, sensualem, rationalem.* AVICENNA etiam lib. 6. naturalium parte pr. cap. 5. idem asserit.

Et quia numerari etiam solet *motiua*, quasi inde consurgat numerus quaternarius, vt indicauit PAVLVS Venetus. 2. de An. in expos. T. 31. & GAIET. Thienensis ibidem; Ideo pro solutione dubij, & veritatis agnitione dicendum

puto, Animas esse tres tantum, distinctas secundum gradus essentiales, Motiuam autem esse potentiam non animam, & reduci ad animam sensitiuam, & illi subesse in brutis, in homine autem etiam subijci animæ intellectiuæ, concurrenti per intellectum, & voluntatem, ad motum progressiuum, at vna cum sensu, aut non sine sensu. Quo circa ALEX. 1. de An. cap. 9. *secundum autem genus animæ vis sensibilis est, & impultrix, itemq; vis appetendi, & imaginandi;* sicuti ergo vires appetendi, & imaginandi non constituunt nouum genus animæ, at omnes sunt potentiæ animæ sensitiuæ, ita etiam vis impulsoria; siue motiua. Pariter AVICEN. 6. Natur. Part. 1. cap. 5. *secunda est anima sensibilis, quæ est perfectio prima corporis naturalis instrumentalis, secundum quam apprehendit particularia, & mouetur voluntate.* & paulo post. *Anima autem sensibilis vel vitalis secundum modum primum, habet duas vires, motiuam scilicet, & apprehendētem.* EGIDIVS in 2. de Anima in expos. t. 31. reducit motiuam ad sensitiuam, *non ergo obstante quod triplex est anima possunt tamen distingui quatuor gradus animatorum; quia anima sensitiua, vel anima bestiarum diuiditur in duos gradus,* Conueniunt, & concordant omnes pene recentiores, CONIMB. 2. de An. cap. 3. q. 2.

vbi dicunt motiuum quod constituit tertium genus viuentium, non addere nouum gradum vitæ essentialis sed accidentalis, quia est potentia non anima. RVVIVS in 2. de an. Trac. de pluralitate animarum q. p. essentiales gradus vitæ dicit esse tantum tres. Auersa q. 46. sec. 4 *In diuisione communi animæ, & viuentis, sub illo genere sensitiui includitur loco motiuum*. TOLETVS etiam in 2. de An. q. 6. in Concl. p. de motiua facultate ait; *Motiua est species sensitiuæ*, Concludo cum S. THOMA qui in p. p. q. 78. art. p. agnoscit motiuam non vt animam. sed vt potentiam, & idem asserit quæst. de Anima art. 13. in corpore. Dicerem ergo iuxta allata, ex citatis auctoribus, dari quidem animam motiuam, sed hanc esse sensitiuam, non facere numerum animarum, extra alia tria genera sufficit, esse potentiam, & facere gradum accidentalem facultatis, cum operatione, non essentialem nouę animæ: Legi potest BANNES 1. p q. 78 art. 1. Dubio 1. conc. p. ibi sed contra: in illis verbis, *respondetur quod quãuis sit perfectior, non est alia species, quia non dicit nouum modum essendi, &c.*

2. In pag. 5. asseritur, *Animam intellectiuam in illo primo statu ante quam vniretur corpori, habuisse naturalem propensionem ad Corpus: Et appetijsse*

natura sua cum corpore copulari. Siue hic status præcesserit duratione, siue natura tantum. Idem etiam conceditur in pag. 8. Hoc ego libentissime accipio, & quia in hoc facio maximum fundamentum, ideo præter allata a Domino meo in lib. 1. cap. 2. intendo pluribus confirmare hanc veritatem.

ALEX. Alẽsis parte 2. q. 62. mẽbro 6. de anima primo assumit Categorice id quod est verum, *non habuit esse antequam esset in corpore.* Postea addit hanc hypoteticam, *& si haberet, essentialiter respiceret corpus.* Noto illud *essentialiter*, si anima habuisset esse extra corpus, respexisset corpus essentialiter: Deinde addit, *& ideo ordinatur secundum esse totius in vniuerso.* Quia ex vi suæ productionis est pars, est forma, non habet propriam speciem, sed est facta ob speciem totius, vt ait D. THOM. q. De An. art. 14. ad vltimum. Idem D. THOM. 2. contra Gentes cap. 81. *inquantum sunt formæ oportet esse corporibus commensuratas*, si inquantum formæ, ergo essentialiter, nam sunt formæ essentialiter 2. contra Gentes eodem cap. 81. si commensuratæ corporibus ergo ad illa habitudinem habent ex vi suæ creationis. Idem colligitur ex S. TH. quæ de spirit. Creaturis ar. 2. ad 5. & in 2. Dist. 17. q: 2. art. 2. sic ait S. THOMAS,

Hoc

Hoc autem ARISTOTELES *reprobat ostendens animam cum det esse substantiale, & specificum in tali corpore, habere essentialem habitudinem ad corpus, &c.* EGIDIVS in 2. dist: 17: q. 2. art. 2. *Anima producta fuit vt forma*, si vt forma, ergo cum relatione transcendentali ad suam materiam, vt ostendi Sec. p. cap. 3: & 4. RICH. in 2. dist: 17. art. 1. q: 2. *cum inclinationem habeat ad corpus sicut forma, &c.* D. BONA· in 2. dist. 17. art: 1: q. 2. ad vltimum sustinet ex suis principijs animam esse compositam ex materia, & forma: tamen in ea concedit appetitum perficiendi corporalem materiam, & reddit rationem petitam ex ipsa rei natura, *quia materia ex qua est anima non explet totum illius appetitũ*, appetit ergo per naturam perficere corporalẽ materiam, ita ibi D. BONAVENTVRA. SCOTVS etiam in 2. dist: 17. q. 1. assignat cõgruentiam, quare anima debuerit creari non ante quam informaret, sed cum formatione corporis, *quia Dei perfecta sunt opera, anima autẽ est pars imperfecta dum actu non informat, non debuit ergo sic creari*, creatur ergo vt informet per naturam, ergo ad informandum inclinatur naturaliter: Concludo cum D. TH. 2. contra Gentes cap. 83. *si naturaliter animæ sunt corporibus vnitæ, naturaliter igitur animæ in sui creatio-*

ne appetierunt corporibus vniri.

3. In pag. 7. hæc leguntur verba. *In primo statu felix esse non potest anima rationalis, cum præmium sine meritis non habeatur.* Hic paulisper cogor subsistere; & volo hinc deducere imperfectionem in se animę separatæ a corpore: Nam si anima fuisset creata vt substantia spiritualis completa, profecto potuisset in sui creatione etiam sine corpore esse beata beatitudine naturali; sicut fuerunt ANGELI 1. p. q. 62. art. 1. in corpore, & ad P. sed quia anima fuit creata ex sui natura vt substantia incompleta, & essentialiter vnibilis, ideo debuit vniri corpori ad complementum suæ beatitudinis, etiam naturalis. Probatur: tam quoad cognitionem, quā quoad virtutes morales, De cognitione S. TH. 1. p. q. 89. art. 1. *Sic ergo patet quod propter melius animæ est vt corpori vniatur vt intelligat per conuersionē ad phantasmata.* & eadem p. p. q. 55. art. 2. *animæ habent esse affine corpori, in quantum sunt corporum formæ, & ideo ex ipso modo essendi competit illis vt a corporibus, & per corpora suam perfectionem intelligibilem consequantur, &c.* Quoad virtutes morales spectat, est res certissima animam ad illas consequendas debere vniri corpori; quia istæ virtutes subiectiue sunt in appetitu sensitiuo, P. 2. q. 56. art. 5. ad primum, & ante D.

D. TH.

D. TH. dixerat ARIST. in 7. Polit. cap. 14. in 3. Eth. cap. 10. & in 2: eth: cap. 5. & 6. ideo requirunt vnionem animæ, & corporis ; Virtus moralis eget ciuili conuersatione, 10. eth. cap. 7. felix felicitate actiua non debet esse solitarius, 9. eth: cap. 9. & ibi egregie EVSTRAT: quocirca istæ virtutes morales in anima separata ante resurrectionem nõ erunt in actu ; quia neque etiam erunt partes irrationales actu, ita S. TH. p: 2: q: 67: art: 1. ad 3: inhærendo dictis a se in 1. p. q. 77. art: 8. & in 4. dist. 44. q. 3. art. 3. quæst: P. in quibus locis ostendit non permanere in anima separata formaliter in actu potentias sensitiuas, ideo neque virtutes morales: Vt acquireret ergo suam beatitudinem, & perfectionem naturalem anima debuit vniri corpori, cum esset creata cum essentiali habitudine ad hanc vnionem. *Anima enim recipit esse a Deo in materia existens, inquantum est forma corporis, & secundum eße corpori vnita.* Vt ait S. TH: 19. de verit. art. p:

4. In pag. 8: De Anima intellectiua hæc verba enunciantur. *Anima rationalis profecto sic se habet ad corpus vt natura sit indifferẽs ad habendum, & non habendum corpus. & propterea consimiliter ad corpus actuandum, & non actuandum.* Si sit sermo de habere, & de actuare corpus *actualiter,*

tran-

transfeat totum, sed si intelligatur de habere, & de actuare. siue formare *aptitudinaliter* vt dici solet, nego animam intellectiuam esse indifferentem ad actuandum vt non actuandum, nam in omni suo statu est determinata, & proxime apta nata formare corpus. Huc tendunt probata in sec. P. cap. 5. Inhærendo dictis in sec. P. cap. 3. ex S. TH. 1. p. q. 75. art. 2. ad 1. & ad 2. & q. 45. art. 4. & q. 90. art. 2. sic dico formę substantiales assimilantur accidentibus quoad esse in alio; modo sic assigno similitudinem; Accidens, saltem in ordine ad virtutem diuinā, est indifferens ad esse *Actualiter* in subiecto, vel non esse, secus ad esse *aptitudinaliter*, nam ad ita esse est determinatissimum, ita de Anima Intellectiua dicendum est. Ne videar ex me hoc excogitasse, accedant doctores, & hoc doceant. De Accidentibus S. TH. in 4 dist. 12. q. 1. art. 1. q. 1. ad 2. *esse in subiecto non est definitio accidentis sed e contrario, res cui debetur esse in alio, & hoc numquam separatur ab aliquo accidente, nec separari potest, quia illi rei quæ est accidens secundum rationem suæ quidditatis semper debetur eße in alio.*

Idem prorsus docet 3. p. q. 77. art. 1. ad 2. audiamus modo de Anima rationali eadem enuntiantem D. BONAV. in 2. dist. 1. art. 6. q. 2.

loquitur de Anima intellectiua, & dicit *Vnibile adhæret inseparabiliter, quia aptitudo semper inest, quamuis non semper insit actus*. Confirmo per HERVEVM quodlib. 8. q. 4. *aptitudo ad vnionem inest formæ per essentiam*; post actus separatos adhuc remanent aptitudines; optime SOTO cap. de proprio q. 2. *quamuis intellectus, & risibilitas separarentur ab homine nihilominus esset intellectiuus, & risibilis, quia adhuc homo esset aptus natus essentialiter ad intelligendum, &c.* Legi debet FERRAR 4. contra Gentes Cap. 65. vbi hoc probat ex S. TH. p. 2. q. 110. art. 4. ad 4. *Dato quod anima esset sine potentijs, adhuc tamen diceretur secundum speciem suam intellectualis, vel rationalis, non quia actu haberet has potentias, sed propter speciem talis essentiæ, ex qua natæ sunt huiusmodi potentiæ effluere*. Sic dicendum de Anima separata, vna cum S. TH. qu. de Anima art. 1. ad 10. *Corrupto corpore nõ perit ab anima natura, secundum quod competit ei vt sit forma, licet non perficiat materiam actu, vt sit forma.* Nam est essentiale animæ esse formam q. de spiri. creatu art. 9. ad 4. ideo informare saltem aptitudinaliter erit illi essentiale Legendus etiam CAPREOL. in 2. dist. 3. q. 1. art. 3. ad 5. SCOTI contra Quintam, & in eo recognoscenda plurima testimonia S. THOMÆ.

5. In pag. 11. adducitur ratio ad probandum propensionem animæ ad commorandum in corpore non esse perpetuam, ita vt consequatur animam separatam, quasi cum illa semper permansura; Potentia, & actus sunt eiusdem ordinis, & generis, 9. m. T. 13. modo sit minor.

Huic potentiæ animę respondent tanquam actus, vnio cum corpore, informatio, compositio, humanum esse, ergò esse debent eiusdem generis; tunc sit prosyllogismus; Eorum quæ sunt eiusdem generis si alterum est corruptibile, & alterum erit, per ARIST. 10. Metap. 26: ista sunt eiusdem generis, ergo si alterum est corruptibile, erit & alterum, sed actus illi sunt corruptibiles, nempe vnio, compositio, informatio, &c. ergo etiam potentia, & habilitas informandi in anima erit corruptibilis, & deficiens.

6. Ad Hoc Resp. Distinguendo maiorem: Potentia, & actus esse debent eiusdem *generis, & ordinis*, nō tamen necessario eiusdem *durationis.* Propterea potentia tendens ad actum substantialem est de genere substantiæ, vt late CAPREOLVS ex D. Thoma docet in p. Dist. 3. q. 3. art. 2. conclusione p. & in defensione illius; At non propterea hæc duo sunt eiusdem *durationis*: quia corrupto actu potest manere poten-

tia,

tia, & hoc probo multipliciter. In 5. phys. t. 38. comparat ARIST. habitum cum actu, & dicit pereunte actu habitum posse permanere, & postea posse esse causam alterius actus, & obseruat optime ibi SIMPL. com. 36: sed habitus est veluti potentia ad suum actum 3. de An. 8. ergo pereunte actu potentia potest conseruari. 8. phys. t. 12. *non simul desinet moueri, & esse mobile.* vbi sic SIMPL. c. 12. *Non simul quiescunt actiones, & potentiæ.* ALB. 8. phys. Trac. 1. cap. 7. *non necessario aliquid cessat simul ab actu mouendi, & ab aptitudine mouendi.* 2. eth cap. 1. loquitur ARIST. de potentijs quas naturaliter habemus, *Habentes vsi sumus, & non vsi habuimus.* Cessat ergo operatio quæ est actus, & non cessat potentia. De causa formali ostendo vna cum CAPREOLO in 3. Dist. 5 q. 2. art. 3. ad 10. *Causa formalis in actu inseparabilis est a suo effectu, & è contra, secus de causa formali in habitu.* Obseruo causam *formalem in habitu,* talis est anima intellectiua separata nempe forma hominis habitualiter, & aptitudinaliter, actu nō informans. Ita esse pōt sine suo effectu, sine composito, sine vnione. Idem ostendo cum S. THOMA applicando hæc omnia animæ humanę, p. p. q. 75. art. 7. ad 3. *Corpus non est de essentia animæ,* hinc procedit, vt possit actu se-

parari a corpore, *Sed anima ex natura suę essentiæ habet quod sit corpori vnibilis*, ecce quomodo manet aptitudo ad informandum, cessante actuali informatione. Eandem vnibilitatem agnoscit S. TH. in animabus separatis in quæst. de An. art. 3. ad 15. *Differunt numero ex eo quod sunt tali, vel tali corpori vnibiles*. Idem docet 2. contra Gentes cap. 75. Hæc eo tendunt vt probem falsam esse hanc consequentiam, vnio animæ, & corporis destruitur ergo vnibilitas animæ; aut sic arguendo actualis informatio cessat, ergo etiam inclinatio animæ ad informandum. Hæ consequentiæ negantur penitus.

7. In eadem pagina 11. ad probandum Potentiã & Actum esse eiusdem generis, & ordinis affertur tex. 13. lib. 9. Meta. ego ingenue credo per illum tex. non probari istam propositionem, *Actus, & potentia sunt in eodem genere*. Probatur quod actus sit prior potentia, & quod Natura, & potentia sint in eodem genere, id est in genere principij. vt ibi obseruat S. THOMAS: propos. ergo allata a Domino meo quamuis alias in se fortasse sit verissima, tamen per t. 13. lib. 9. Metaph. non probatur, consulat Lector expositores illius T. 13. & ipsum textum.

8. In eadem pag. 11. affertur tex. 26. libri 10. Metaph. ubi habetur celebris propos. *Necesse est di-*

diuersum genere esse corruptibile, & incorruptibile, Si ergo inclinatio ad vnionem, & vnio sunt eiusdem generis vt dictum est, sicuti vnio est corruptibilis, ita etiam inclinatio ad vnionem erit corruptibilis. Resp. primo cum S. THOMA in illo 10. Met. lec, 12. & clarius cum ALEX. ALENS. in expositione illius T. 26. duplex est genus alterum *naturæ*, Alterum *logicum*. illud prius accipitur secundum potentialitatem vnius *materiæ*: hoc posterius secundum potentialitatem vnius *conceptus*, vt ait ibi ALENSIS. Imo S. THOMAS hoc dicit citata lec. 12 Corruptibile, & incorruptibile differunt genere naturæ, quia non habent potentialitatē eiusdem materiæ, sed possunt conuenire in vno genere logico, V. G. in genere substantiæ. S. THOM. hoc soeptius dixit p. p. q. 66. a. 2 ad 2 *Si genus cōsideretur physice corrupt. & in corrupt non sunt in eodem genere, propter diuersum modum potentiæ, vt dicitur 10. Metaph secundum autem logicam considerationem est vnum genus omnium corporum*, Idē ait de substantijs materialibus, & immaterialibus in p. p. q. 88. art. 2. ad 4. Iuxta hæc principia ita respondebo. Anima intellectiua, cū hac inclinatione sua incorruptibili sibi identificata, differt ab vnione cum corpore, & a composito corruptibili genere naturæ, siue physico,

quia

quia non subest eodem modo potentialitati materiæ, cum vnio sit a materia inseparabilis, & anima cum hac sua inclinatione actu sit separabilis, sed conueniunt ambo in genere logico, nã tã anima, quam inclinatio illi essentialis sunt in genere substantiæ, in quo est etiam vnio substantialis animæ, & corporis; & ipse homo vt patet 2. de An. 2 & 8 met. 3. Itaq; illa propos. *Potentia, & actus sunt in eodem genere* vera erit saltem de genere *logico*, non semper vera de genere *naturæ*.

Altera responsio fortasse subtilior accipitur ex eodem D. THOM. q. de spiri. Creatur. art. 2. ad 16. suppono ex deductis, & probatis sec. pr. cap. 7. Animam separatam esse substantiam incompletam, videlicet esse partem humanę speciei, non habere per se speciẽ completam, ita etiam dixit S. TH. qu. de An. art. 1. ad 4. & art. 14. ad vltimum, quo posit. sic dico. Substantiæ incompletæ quamuis incorruptibiles non differunt genere a suis substantijs completis, ab illis inquam quas complent; quamuis eæ sint corruptibiles, quia incompleta non habent speciẽ secundum se, sed ratione illius completi corruptibilis. Affero verba D. TH. ex citata qu. de Spiri: Creat: art. 2. ad 16: *Anima licet sit incorruptibilis, non tamen est in alio genere quam corpus.*

Hic primo vides incorruptibile, & corruptibile esse eiusdem generis, sunt enim hæ duæ substantiæ incompletæ anima, & corpus, quæ ex se non habent speciem, neq; genus, nisi ratione sui totius, quod est corruptibile. Quocirca pergit S. THOMAS, *quia cum sit pars humanæ naturæ non competit sibi esse in genere, vel specie, vel esse personam, vel hypostasim, sed composito*. Concludo ergo, quod incorruptibile incompletum vt pars esse potest eiusdem generis cum alio corruptibili completo quod est totum illius, & ita anima, & inclinatio ad informandum sunt quidem incorruptibilia in se, tamen in eodē genere cum homine corruptibili suo toto, & completo. Nolo omittere duo verba S. THOMÆ 1. p. q. 75. art. 7. ad 3. *non proprie anima est in specie, sed compositum*; & ALENSIS part. 2. q. 62. memb. 6. *Anima ordinatur secundum esse totius*, Apparet ergo quod incorruptibilia incompleta esse possunt in genere corruptibilium completorum; quod erat probandum; & confirmo ex S. THOM. q. de Anima art. 14. ad 2. vbi reddit rationem quare animæ brutorum, & anima hominis esse possint eiusdem generis, quamuis illę sint corruptibiles, hæc autem incorruptibilis: quia animatum est vnum genere, & animę sortiuntur genus ratione totius animati, *Anima*

non

non est in genere sicut species, sed sicut pars speciei, utrumque autem compositum corruptibile est, tam illud cuius pars est anima humana, quam illud cuius pars est anima iumentorum, & propter hoc nihil prohibet ea esse vnius generis.

9. Obijciet aliquis lib. 3. de Cælo t. 61. vbi dicit ARIST. *oportet corruptibilium corruptibilia esse principia*. Si ergo homo est compositum corruptibile, anima, eius principium formale, aut saltem hæc eius inclinatio erit corruptibilis. Resp. illum tex. esse intelligendum de proximis principijs, non de primis, & vltimis, modo in homine duo prima principia in quæ vltimo resoluitur sunt materia prima, & anima intellectiua, ambo incorruptibilia, simpliciter loquendo, & secundum substantiam, corruptibilia tantum secundum quid; materia corrumpitur secundum quid quatenus de vna forma in aliam mutatur, P. phys. 82. p. de Gen. 22. Anima quatenus in actu separationis amittit modum substaniialis vnionis. Ambo principia insensibilia per se, sensibilia per aliud, & ideo principia compositi sensibilis. Vtile erit ad hoc videre expositionem LVCILLI Philalthæi in 3. de Cælo t. apud ipsum 65.

10. In eadem pagina 11. asseritur hanc animæ inclinationem ad formandum Corpus esse caducam,

eam, & non permanere perpetuò cum anima separata, verum aliter loquuntur grauissimi Doctores, agnoscunt hanc propensionem perpetuam, quippe essentialem animæ; S. TH. 1. p. q. 76. art. 7. ad 3. *Anima ex vi suæ essentiæ habet quod sit corpori vnibilis*, si *vnibilis* ergo propensa ad corpus, si *ex vi suæ essentiæ*, ergo perpetuo, quod enim est alicui essentiale non variatur illo permanente, vt ait D. TH. 2. contra Gentes cap. 83. hoc est essentiale animę 2. contra Gentes Cap. 81. sed recurrat Lector ad sec. p. cap. 7. & ad hanc sec. 2. n. 4. & 5.

11. In eadem pag. 11. & duabus sequentibus ducitur argumentum a morte naturali, & in forma construitur in pag. 13. sic. *Quicquid aduenit animę rationali contra eius naturalẽ inclinationem violentum est, atque molestum; separatio per mortem in vltimo senio sensim obrepentem aduenit sine violentia, & sine dolore, & molestia, ergo talis mors non est contra naturalem animæ inclinationem.* Ad hoc argumentum concessa maiore, nego minorem, & ostendo mortem non esse naturalem respectu animæ, imo illi semper esse molestam, & contra eius inclinationem, & intentionem: Obserua Lector hunc breuem discursum, & curiosum. Primo considerandum mortem, & corruptionem dici naturalem non secundum

M natu-

naturam particularem, sed secundum naturam vniue.rsalem. Ita S. TH. 5. de Malo art. 5. *corruptio, & omnis defectus sunt contra naturam particularem, quamvis sint secundum naturam vniuersalem.* Similiter loquitur in P. 2. q. 85. art. 6. Ita etiam ALBERTVS 2. physs. Trac. 1. cap. 11. *Mors incidit præter intentionem naturæ particularis.* Imitatur hos antiquiores ZAB. P. de Gen. in expositione T. 1. At constat animam esse naturam particularem, ergo mors incidit præter intentionem, & inclinationem animæ.

Deinde dico in natura particulari esse formam, & materiam, argumento 2. phys. T. 10. si mors potest dici aliquo modo naturalis respectu naturæ particularis, est tantum ratione materiæ; nō ratione formæ, & loquendo in proposito nostro, est ratione corporis non ratione animæ. Probo quod dixi D. TH P. 2. citata q. 85. art. 6. *corruptiones, & defectus sunt naturales, non quidem secundum inclinationem formæ, quæ est principium essendi, & perfectionis, sed secundum inclinationem materiæ, &c.* Sec. sec. q. 164. art. 1. ad 1. *mors non est naturalis homini ex parte suæ formæ, quantū ad corpus mors est homini naturalis.* Et p. p. q. 118. art. 3. ad 3. *quod anima remaneat sine corpore contingit propter corporis corruptionem.* Vides non esse hanc separationem ob deficientem animæ incli-

na-

nationem. 5. de malo art. 5. loquens de homine, ait *quod ſpeciali modo corruptio proueniens ex neceſſitate materiæ eſt præter conuenientiam huius formæ quæ eſt anima intellectiua*, & ſi in anima intellectiua debilitaretur inclinatio ad informandū, & deficeret, iſta corruptio eſſet ſecūdū cōueniētiā animæ intellectiuæ non amplius inclinatæ ad informandum.: FERR. 2. contra Gentes cap. 83. §. cum ergo forma : *Corruptio hominis non eſt naturalis propter naturalem appetitum animæ ad eſſe ſeparatum, ſed propter conditionem materiæ*. anima ergo ſemper appetit eſſe vnitam corpori. ALENSIS p. 2. q. 87. membro 2. art. 2. n. 2. *Per appetitum ergo corpori vnitur, & inſeparabiliter ſe tenet, niſi ſit defectus ex parte corporis*. Cauſa ergo ſeparationis non eſt ex anima, quaſi debilitetur eius inclinatio,
D. BONAV. in 2. diſt. 19. art. 3. q. 1. concedit continuationem appetitus animæ erga corpus, ſed ob defectum potentiæ, & virtutis dicit vitam nō continuari, & perpetuam eſſe, inclinatio ergo, & appetitus durant ſemper, in anima. ARIST. 9. eth. cap. 9. *viuere ex ijs eſt quæ bona, & iucunda ſunt*. Ergo non eſt cur animæ diſpliceat, & cur deſinat ad hoc bonum inclinari. Item 9. eth. cap. 7 *eſſe eſt expetibile, atque amabile omnibus. At viuere eſt eſſe*, 2. *de An.* 37.

& 3. Politicæ cap. 4. *tolerant homines multa aspera propter viuendi cupiditatem, vt existente in eo quadam prosperitate, & naturali dulcedine.* Vide ALEX. 4. natur. cap. 1. vbi abunde declarat hoc innatum viuendi desiderium, semper ergo anima inclinatur ad vitam corpori tradendam. Docte TERTVLL. lib. de an. cap. 52. dicit omne genus mortis *vi agi.* Et melius se se explicat cap. 53. omnem causam mortis referens in corpus, non in animam, *Dum igitur hæc ex propria quaq; iniuriæ causa vastantur in corpore, necessario, & anima, dilabentibus paulatim instrumentis, & domicilijs, & spatijs suis, paulatim, & ipsa migrare compulsa, &c.* Compellitur anima non sponte exit, est vis non naturalis appetitus separationem suadens. Adducit exemplum mirabile. *Non alio modo quam quo, & aurigam ipsum quoque defecisse præsumitur cum vires equorum defatigatio denegauit. Perinde auriga Corporis spiritus animalis, deficientis vectaculi nomine, non suo, deficit, opere decedens non vigore, &c.* constat ex his, mortem tribuendam esse corporis debilitati non animo ægre ad informandum inclinato. Accedat D. IOANNES Chrysostomus, & doceat animæ omnem mortem esse violentam. Hom. 87. in IOANNEM *Anima inuita corpus relinquit.* Vltimo audiamus D. AVGVSt.

in lib. de ſpiritu, & anima cap. 14. quem eiſdẽ pene verbis imitatur CASSIODORVS lib. de Anima non longe ab initio. Satis erit afferre verba AVGVSTINI. *Quibuſdam affectibus, & quadã amicitia anima corpori coniungitur ſecundũ quam amicitiam nemo carnem ſuam odio habet; ſociata namque illi, licet eius ſocietate prægrauetur, ineffabili tamen conditione diligit illud, amat carcerem ſuum, & ideo libera eſſe non poteſt, doloribus eius afficitur, formidat interitum, quæ mori non poteſt: timet defectum, quæ per naturam non poteſt deficere.* Ex his apparet mortem, quantum vis naturalem non aduenire ex inclinatione animæ, quaſi propenſæ ad ſeparationem, ſed ex defectu corporis, cum animæ triſtitia, quia priuatur hac vnione, aliter non timeret interitum, imo amaret aliquando, tœdio informandi affecta, & deficiente inclinatione ad informandum.

12. In pag. 12. citatur locus ARIST. in lib. de Iuuent. & ſenectute cap. 14. vbi ſic ait ARIST. *Quapropter ſine dolore eſt quæ in ſenectute mors; nulla enim violenta illis paſſione contingente moriuntur, ſed inſenſibilis animæ abſolutio fit omnibus.* Dico hunc tex. eſſe intelligendum iuxta prædicta, ſcilicet ex parte corporis, cuius vis in ſenio debilitata ad interitum eſt prona, & procliuis, non autem ex parte animæ, cui ſeparatio

a cor-

æ corpore est semper violenta, & molesta. Probo vtrumque, & prius id quod dixi ex parte corporis. Extinctio natiui caloris cum siccitate se tenet ex parte corporis, cum hæ sint qualitates corporei temperamenti, ista mors naturalis est ob extinctionem caloris natiui, cum siccitate, vt ait GALENVS P. de diff. febrium cap. 8. & 2. de Temp. cap. 2. ergo ista mors se tenet ex parte corporis, & accidit ob defectum corporeæ dispositionis.

Confirmo per doctrinam singularem ALBERT. lib. de Morte trac. 1. cap. 3. *oportet quod corruptio tota huius proportionis sit ex parte moti, mors igitur erit priuatio vitæ in corpore ex corruptione proportionis corporis*. Similiter ALENSIS supra citatus p. 2, q. 87. memb. 2. art. 2. §. 2. *vnitur per appetitum corpori, & inseparabiliter, se tenet, nisi sit defectus ex parte corporis.* GAL. in libello quod animi mores, &c. Cap. 3. refert hanc mortem in corpus, *Cur anima a corpore recedere cogatur dicere ipse ausim, non omnem speciem corporis, vt rationalem animam suscipiat esse idoneam*. Quando ergo corpus eo deuenit vt non sit amplius idoneum ad retinendam animam, illa recedit non sponte ex se, at necessitate coacta. RHODIGINVS lib. 21. cap. 4. *quo sane modo mortem esse naturalem colligi potest, quæ inest homini ex mate-*

ria physica, iam potestatibus animæ subseruire amplius nequeunte. Ecce materiæ, & corporis impotentiam, animæ dantur potestates.

13. Tangitur ibidem instantia quia *ista mors est sine dolore, sine violenta passione, insensibilis animę absolutio*; Resp. esse sine dolore sensibili corporis, non sine animi molestia, tunc enim est dolor sensus quando valida virtus a valido hoste oppugnata, resistit, & fit pugna vehemens, at in vltimo senio virtus debilitata, & fatiscens non resistit, ideo minimo impellenti succumbit, non est dolor sensibilis quia neque adsunt vires quę illum sentiant, ita & bene explicant illum locum libri de Iuuentute cap. 14. LEONICVS, & PETRVS de ALVERNIA, & concordat IAVELLVS in Epit. lib. de morte Trac. vnico cap. 3.

Quod autem ista mors sit dolorifica animæ, molesta, violenta, & contra eius naturalem inclinationem sic probo. ALENSIS p. 2. q. 105. memb. 2. art. 8. *In ipsa separatione animæ a corpore dicitur mors pœna corporalis; illam enim sentit anima a qua corpus separatur*. Sciendum est enim animam, præcipue intellectiuam sibi semper conseruare suas vires integras, & aptitudinem ad informãdum in anima semper vigere, argumento eorũ quæ dicuntur in p. de An. T. 65. exponentibus

ibi

ibi PHILOPONO, SIMPLICIO, & ALBERTO, defectus est ex parte corporis, & organorum, ideo separari a corpore est semper animæ molestum, vt propterea dixerit S. TH. 4. contra Gentes cap. 79. esse *contra naturam animæ absque corpore esse.* ergo separari à corpore est illi molestum, & saltem non ex natura. nisi sit contra naturam.

Ad idem sic arguo, si mors accidere posset naturalis animæ, & iuxta eius inclinationem, sequeretur vt non esset appellanda horribilis, & terribilis, sed enunciatur vniuersaliter de morte esse horribilem, & terribilem, probo sequelam maioris, nam non est horribile quod euenit secundum naturam, & nō repugnante naturali inclinatione formæ; imo quod accidit violenter tristitiam affert, & mærorem, & est horribile 5. Met. t. 6: minor est ARIST. 3. eth. cap: 6. *Mors maxime omnium rerum est horribilis*. Ego infero ergo maxime contra naturalem animæ propensionem: & constat ibi ARIST. loqui de omni morte, etiam de naturali, deduco ex rationibus ibi allatis. *Quippe cum terminus sit. Nihilq; amplius homini mortuo neque bonum neque malum esse videatur*. Rationes hæ probant de omni morte. ALBERTVS 3. eth. trac. 2. cap. 2. *Mors omnis boni quod ad vitam pertinet est priuatio, ideo terri-*

terribilissima. Est ratio de omni morte vniuersaliter concludens. Ad idem respexit S. TH. 3. eth. lec. 14. *valde terribile est id per quod homo perdit omnia bona* BVRLÆVS etiam ita ibi loquitur mors est maxime terribilis, nam per mortem homo perdit omnia quæ habet. Clarissime, & luculenter EVSTRATIVS 3. eth. cap. 6. *Maxime horribilem omnium esse mortem, quippe quæ terminus vitæ sit, sensuq; omni tam boni quam mali homines priuet. Vnusquisq; autem maxime formidat non esse, vitæq; priuationem abhorret*. Mors itaq; semper aduenit contra naturalem animæ inclinationem. Hic horror naturalis mortis, & viuendi desiderium eleganter describitur a NYSSENO in lib. de Anima, & resurrectione circa initium. Obseruo tandem pulcherrimum dictum ALBERTI De Morte Tract. 1. cap. 3. *Est vita quæ ab influxu ab anima ipsa; & nec huic vitæ directe opponitur mors, eo quod illa magis est animæ quam corporis; sicut fluxus luminis plus est Solis quam aeris recipientis*. Ex quo sic arguo; Vita vt est in fluxu ab anima nõ opponitur morti, neq; ab ea vt sic deletur, vita vt est in fluxu ab anima est secundum naturalem propensionem animæ ad animandum, ergo isti naturali propensioni non opponitur mors, neq; ab illa deletur. Confirmo ex AL-

BERTI exemplo: Lumen nunquam deficit ob fluxum a Sole, quia Sol ſemper manet paratus illum inare, ergo neq; vita deficit ob fluxum ab anima, nam anima eſt ſemper parata ex ſe influere, & dare vitam; mors itaq; etiam naturalis, ex corporis indiſpoſitione eſt, non ex defectu inclinationis animæ ad animandum.

14. In eadem pag. 12. adducitur locus Ciceronis ex lib. de ſenectute; ait eſſe *ſecundum naturam ſenibus mori*, Explico ex ſupra allatis præcipue ex S. THO. 1. 2. q. 85. art. 6. & 2, 2. q. 164 a. 1. ad p. eſt ſecũdũ naturã corporis debilitati, ob caloris diminutionẽ, non ſecundũ naturam animæ deſiderantis naturaliter eſſe perpetuo in corpore, & animare & abhorrentis ſeparationem, vt corruptionem ipſius eſſe totius. Ideo S. TH. in 3. p. q. 18. art. 5. *voluntas vt natura repudiat ea quæ ſunt naturæ contraria, quæ ſunt ſecundum ſe mala puta mortem*. Ecce quomodo mors eſt naturæ contraria, & mala, non ergo ſecundum naturam, huc fortaſſe reſpexit AVGVSTINVS lib. 13. de Ciuitate cap. 5. in fine vocans *mortem malam*, quia eſt mala naturæ totius quam deſtruit, ideo contra naturalem inclinationem animæ, quæ eſt eſſendi principium ipſi toti; reaſſumo illud quod prius dixi ex Argentina in 4. diſt. 43. q. 1. art. 2. ad 7. *Semper viuere naturaliter*

liter appetitur ab anima rationali etiam quando est coniuncta corpori corruptibili, & tamen hoc sibi non potest competere per naturam. Obseruo animam rationalem velle, & appetere semper viuere in corpore quamuis hoc per naturam fieri non possit, non ergo animam deficit vnquam appetitus informandi.

15. In Pag: 13. citatur Plato in Timæo, in qua auctoritate contra me credo obseruandum esse Platonem dixisse in hac morte naturali animam *secundum naturam cum voluptate euolare*; hoc destruit id quod diximus supra nempe mortem naturalem esse animæ molestam, & violentam, imo est iucunda, & cum gaudio.

Respondeo tamen aliter loquendum secundum principia Platonicæ disciplinæ, aliter secundum nostra, idest Peripatetica: & Theologica. Plato credidit animas fuisse ante hæc corpora mortalia, veluti substantias completas, ita docetur in Phædro *Anima totum percurrit cœlum, alias videlicet alias sortita species. Perfecta quidem dum est, & alta sublimis incedit, ac totum gubernat mundum, cui vero alę defluxerint fertur quoad solidum aliquid apprehenderit, vbi habitaculum sortita, corpusque terrenum suscipit, &c.* Erat ergo anima prius secundum Platonem quam terreno corpori iungeretur. Clarius lib. 10. de legibus *qualis sit ani-*

ma, & qualem habeat vim, omnes ferme ignorasse videntur, quod ante omnia corpora nata sit, & quod corpore sit antiquior, & paulo inferius in eodem 10. de legibus. *Recte igitur, & proprie, vereq; & absolute diximus prius corpore animam factam fuisse, corpus vero posterius, atq; secundo, animæ secundum naturam dominanti subiectum*. Et in Phædone, *erant igitur, Simmia, animæ etiam prius quã in humanam speciem deuenirent, seorsum a corpore, intelligentiamq; habebant*. Item vnitæ fuerunt animæ corporibus non vt formæ, sed vt assistentes, & motrices secundum PLATONEM: sufficiet in præsentia probare hoc per doctrinam D. TH. 2. contra Gentes cap. 57. Alligatæ fuerunt corporibus in pænã, ita PLATO in Cratylo *Anima in corpore hoc delictorum dat pænas, & hoc circumsepto, valloq; clauditur*. Ita de opinione PLATONIS legimus in libello de Mystica Philosophia qui ARISTOT. tribuitur lib. P. cap. 5 ideo corpus appellat animæ sepulchrum. PLATO in Cratylo *quasi ipso præsenti tempore sit sepulta*: Ideo dicunt Platonici esse malum animæ esse in corpore, Plotinus Enn. 4. lib. 8. cap. 1. de PLATONE sic scribit, *sensibile totum vbiq; contemnit, & commercium animæ cum corpore damnat, asserẽs eã hic includi vinculis, & in corpore esse sepultam*: & latius hoc explicat citato lib. 8. cap 4. & Enn.

P. lib.

P. lib. 7. cap. 3. *Summatim vero dicendum ipsam in corpore vitam ex se quidem esse malum, sed animã per virtutem in bono constitui, non vt seruat, & viuificat compositum, sed iam se ipsam a corporis commercio segregat.* Ita etiam procedit PLVTARC. in consolatione ad APOLLONIVM. His ergo principijs innixus PLATO potuit dicere animã assistentem non informantem cum gaudio euolare, libertatem nactam ab odioso carcere, & præcipue in morte naturali in qua, vt diximus, cessat omnis dolor sensibilis, ob caloris debilitatem, & potentiarum fere sopitas vires. D. TH. quę de An. art. 21. ait esse contra appetitum naturalem substantiæ incorporalis coniungi alicui determinatò corpori, nisi sit forma, quæ naturaliter coniungitur corpori cuius est forma, Anima secundum PLATONEM nõ est forma, ideo vniri corpori erit non ex naturali appetitu illius animæ. Nostra vero principia nempe Peripatetica, & Theologica, sunt longe diuersa: Anima apud nos est forma informans, essentialiter materiam respiciens, extra compositum imperfecta, ideo vnitur materiæ, vt ipsa quoque perficiatur, propterea semper appetitu naturali ~~fu~~ cu pit materiæ alligari, & vt dicebat AVGVST. supra a me citatus de spiritu, & Anima cap. 14. *amat carcerem suum, formidat interitum quæ mori*

non potest, &c. & D. THOMAS 3. contra Gentes cap. 48. ratione 6. *Homo naturaliter refugit mortem, & tristatur de ipsa, non solum vt nunc cum eam sentit, & etiam refugit, sed etiam cum eam recogitat*; Vides his verbis motum naturalis appetitus in mortem, esse cum horrore naturali, & fuga; idem D. TH. in 4. dist. 49. q. 1. art. P. q. 4. ad vltimum ponit distinctionem appetitus, alter est naturalis, alter rationalis qui consilio vtitur, & deliberatione. & deinde addit, de appetitu naturali *Mors quam naturaliter quilibet refugit, &c.* naturalis ergo appetitus mortem, vt molestam, fugit. ARIST. 3. eth. cap. 9. *Mors, & vulnera molesta erunt forti viro, &c* ecce mortem etiam in optimum finem directam, esse molestã Neque dicat aliquis esse molestam, quia accidit in vigore ætatis, & fortis patitur mortem violẽtam, secus si esset in vltimo senio; Quia ratio ab EVSTRAT. ibi allata concludit de omni morte esse naturaliter molestam, quia *fortis multis, ac magnis bonis, moriendo tum se ipsum, tum patriam, tum amicos priuat*. Idem motiuum tangit ALB. 3. eth. Trac. 2. cap. 11. *quia maximis bonis scienter priuatur in morte*. D. etiam TH. lib. 3. eth. lec. 18. refert hunc horrorem mortis, non in dolorem sensibilem quem morientes morte violenta experiuntur, sed in priuatio-

nem

nem plurimorum bonorum, quam patiuntur etiam morientes morte naturali.

16. In pag. 14. asserit Dominus meus in anima separata esse *potentiam obedientialem redeundi ad corpus ad Imperium Dei*: Non debet negari potentia obedientialis in anima separata ad actus sibi supernaturales, V. G. iubente Deo potest ingredi corpus cadauerosum indispositum; ad hoc non habet potentiam naturalē sed obedientialē, item, vt patiatur ab igne corporeo habet potētiam obedientialem non naturalem. De qua obedientiali videndus D. TH. 1. de Potentia art. 3. ad P. 29. de Verit. art. 3. ad 3. & CAPREOLVS in p. q. 1. prologi in resp. ad 1. contra sextam, & in 4. Dist. 42. q. 1. conclus. 4. sed dico præter hanc obedientialem respicientem actus non per naturam competentes, esse etiam in anima separata potentiam naturalem ad actus sibi per naturam conuenientes, inter quos est actus reiteratæ vnionis cum suo corpore, sed oportet distinguere; antequam corpus diuinitus reformetur non est naturale animæ illi vniri, imo si sic vniretur cadaueri esset miraculum, at quod corpori iam diuinitus, & miraculose reformato vniatur anima est illi naturale, & iuxta eius potentiam naturalem. Sed hæc omnia fuse explicaui in sec. p. cap. 6. præcipue n. 6. 7. & 8. cum

Do-

Doctrina D. BONAVENT. NICOLAI de NISE. & SVAREZ, ibi scripta videantur, & erũt satis. Oportet ergo distinguere, & reperiemus potentiam alteram obedientialem supernaturalem, & alteram quæ naturalis est animæ.

17. In pag. 17. asserit Dominus meus ita indistincte, & vniuersaliter *resurrectionem non esse naturalem;* at oportet procedere cum debita distinctione, resurrectio est naturalis quoad *substantiã & entitatem vnionis*, *supernaturalis quo ad modũ;* Legendum in sect. p. totum cap. 6. modus enim operandi supranaturam, non tollit naturalita tatem vnionis vt dixi sect. 2. Theo. p. & 2.

18. In eadem pag. 17. dicit Dominus meus *actum reunionis von esse debitum naturæ ipsius animæ.* Resp distinguendo: ante reformationem corporis non fuisse debitum animæ actum vnionis, nisi debito remoto, vt vult RVVIVS trac. de an. separata q. 7. aut debito morali, vt SVAREZ in 3. par. tom. 2. disp. 44. sec. 7. sed post corporis reformationem dico esse debitam proxime corpori vnionem animæ, & animæ vnionem corporis, ita SVAREZ dicta disp. 44. sec. 5. est debita corpori iam reformato vnio animæ, quia illud est corpus dispositum, est debita animæ vnio corporis nam anima est naturalis forma illius corporis. Vide SVAREZ citata sec. 5. qui

addit

addit hæc verba. *Nam futura est inter ea naturalis connexio.*

19 In eadem pag. 17. asseritur *Resurrectionem non pertinere ad physicam, naturalemque perfectionem animæ*. Vt de hac re Lector optime iudicet legat in sec. P. totum cap. 5. & videbit animam vniri corpori in resurrectione, ad sui naturalem perfectionem comparandam quam separata a toto habere non potest: legi etiam debet sec. 3. n. 3.

In Pag. 19. incipit Dominus meus afferre suas rationes contra naturalem inclinationem animæ separatæ ad corpus; multas quidem numero, sed virtute medij fere easdem; potuissem generalibus responsionibus illis occurrere, sed nolui videri subterfugere illarum vim. Erit mihi necessarium sæpe repetere eadem, at excusabis me Lector prudens. Compensabo molestiam brevitate, & ne sim æquo prolixior, te mittã ad determinata in sec. P. & 2. alterũ vel alterũ fũdamentum soluit omnia; distingue distinguenda, & omnia corruent.

IN PAG. 19. RATIO PRIMA.

Omne quod potest ab alio coniungi cum corpore in formam naturalem habet potentiam passiuã naturalem, Anima separata non habet potentiã passiuam naturalem, ergo non potest denuo cum

corpore coniungi. Maior vt nota supponitur nam posse vniri est posse pati, minor probatur, omnis potentia passiua naturalis est ob materiæ participationem, ex 9. met. T. 2. Anima separata non habet participationem materiæ, ergo anima separata non habet potentiam passiuam naturalem, secundum quam possit coniungi in formam naturalem, & fieri de non informante informans.

RESPONSIO.

Concessa maiore primi argumenti, nego minoré; habet enim anima separata potentiam passiuam naturalem, vt possit vniri suo corpori iam diuinitus reformato. Lege sec. 2. Theor. 6. & huc applica: & dum dicit Dominus meus, omnis potentia passiua physica est ob participationem materiæ, respondeo cum AVERR. 3. de An. com 14. *non est opinandum quod prima materia est causa receptionis sed causa receptionis stansmutabilis. Causa autem receptionis simpliciser est ista natura*. Sit ergo distinctio, passiua potentia ad recipiendum cum vera mutatione corruptiua vnius formæ, & alterius generatiua est a materia; sed potentia passiua ad recipiendum quomodocumq; perfectiue non cum aliqua corruptione, non est necessario a materia prima, sed sufficit subesse naturam receptinam, & aliquid informe quod

possit

possit formari; Ita intellectus possibilis non habet materiam, & tamen patitur recipiendo, 3. de An. 18. *est intellectus qui omnia fit* - in t. 8 *singula factus est*, tamen est sine materia 3. de an. 16. omnino legi debet MONTECATINVS in expositione illius Com. 14. AVERR. qui clare, & docte totum hoc explicat. Potentia ista animæ separatæ non est ad recipiendum cũ transmutatione corruptiua, sed ad recipiendũ modum vnionis cũ mutatione solum perfectiua, ad hoc non requiritur materia proprie dicta sed recurrat Lector ad illam sec. 2. Theo. 6. & attente legat.

In pag. 20. citatur T. 2. lib. 9. Meta. præcipue ob illa verba, *Hæc enim in patiente est, propterea enim quod habet aliquod principium, & quod materia aliquod principium est, patitur quod patitur, & aliud ab alio, &c.* Hic videmus potentiam passiuam reduci ad materiam.

Resp. tamen interpretando illum t. 2. & ostendendo non necessario esse intelligendum de materia proprie, & stricte accepta. D. THOMAS sit explicator. In quæ. De spiritualibus Creaturis art. 1. in corpore. *Id communiter materia prima nominatur quod est in genere substantiæ, vt potentia quædam intellecta præter omnem speciem, & formam.* In illo ergo t. 2. nomen materiæ acci-

pitur communiter pro potentia susceptiua: patitur ergo quod patitur ratione huius potentiæ quæ intelligitur appellatione materiæ communiter acceptæ. Notum est etiam materiam aliquando sumi analogice, ita vt quodlibet subiectum recipiens sit materia, vt in 8. meta. 12. vbi Luna vocatur materia eclipsis, non stricte sed late, & analogice pro subiecto susceptiuo. Ita anima recipiens hunc modum vnionis, erit materia illius idest subiectum patiens passione perfectiua, vt luna cum illuminatur. In Luna non est materia physica, saltem qualis est in subcælestibus, pariter anima non habet materiam; tamen in ea est passio, & alteratio aliqua contrarietatis, vt tristitiæ, & gaudij secundum GILBERTVM in lib. de sex. principijs cap. P. obseruo etiam in 5. met. t. 17. esse quandam potentiam passiuam quæ *in melius solum potest tendere non in peius*, huiusmodi est potentia animæ separatæ de qua loquimur, est enim ordinata ad statum perfectiorem scilicet vt anima sit in suo toto; est perfectiua animæ ista mutatio, nullius destructiua, in summa nego animam separatam, quamuis sit immaterialis non habere potentiam passiuam, vt ita possit, cum sui perfectione corpori vniri: substantię enim immateriales, infra Deum, habent potentiam, cum non sunt actus puri, 2.

contra

contra Gentes cap. 53. & fateor ingenue quod sentio, si in primo suo statu secundum Dominũ meum anima habuit potentiam passiuam, vt posset vniri corpori quamuis esset immaterialis, nõ video cur debuerit illam amisisse in tertio statu, vi immaterialitatis quoad hoc est par status, tertius statui primo. in vtroque enim anima est immaterialis: tunc potuit esse naturaliter vnibilis cur non nunc?

PAG. 21. RATIO SECVNDA.

Omnis potentia naturalis tendit in actum quem respicit tanquam sui perfectionem; anima rationalis post mortem a corpore separata non respicit corpus, neque coiunctionem, & vnionem cum corpore tanquam sui perfectionem cum ob istam vnionem perfici non valeat igitur in anima separata non est potentia naturalis ad corpus, & vnionem cum eo.

RESPONSIO.

Concessa maiore, nego minorem: vtque clarius explicem, descendo ad singula: Anima separata inclinatione sua naturali respicit corpus tanquã a se perfectibile, vt dixi sec. p. cap. 5. n. 15. respicit etiã esse totius hominis in quo perficitur secP. cap. 5. n. 18. respicit vnionem tanquã suam causalitatem, per quã causat, & constituit totum, & dat esse materiæ. Totum, & complementum spe-

ſpeciei eſt actus formæ, in quem actum ordinatur vt imperfectum ad perfectum, ita obſeruo ex ARIST. 2. phyſ. t. 31. ibi S. THOM. lec. 5. AVERR. 2. de An. com. 37. D. TH. 1. p q. 65. art. 2. & alibi paſſim. Noto locum D. TH. Quæſt. de Anima art. P. ad 16. *licet anima ſeparata poſſit per ſe eſſe non tamen poteſt in complemento ſuæ ſpeciei eſſe ſine corpore;* Ecce actum in quem tendit, & inclinatur anima ſeparata, videlicet *complementum ſpeciei* idem dixerat ibidem D. TH. in ſolutione 12. argumenti: Vide CAPREOLVM in 4. diſt. 43. q. 2. concl. P. & quæ ibi refert ex S. THOMA: Non eſt omittendus locus alius D. TH. in p. p. q. 89. art. 2. ad p. *anima ſeparata eſt imperfectior ſi conſideretur natura corporis*. Et eſt ſenſus, ſi conſideretur corpus, cui anima eſt vnibilis, & nõ vnita vt ſic eſt imperfecta anima, vniri cupit, vt hanc perfectionem recipiat. Idem legimus q. de Anima art. 17. ad P.

Deinde tangit Dominus meus in pag. 21. eſſe hanc vnionem æqualiter tam animæ, quam corporis: corpus autem non habere naturalem potentiam ad animam, ideo neque animam ad corpus. Iam ſupra reſpondi, Sec. 2. Theo. 4. negando aſſumptam propoſitionem: nam cineres ante reformationem habebant ſolum potentiam remo

tam,

tam, anima habebat etiam proximam passiuam Theo. 7. ideo non erant omnino pares anima, & corpus, quoad potentiam, & inclinationem naturalem.

Vlterius Addit Dominus meus *ista vnio est actus coniungentis Dei*. Resp. est a Deo vt ab agente vniente, sed animæ, & corporis vt vnitorum, & quæ in hac vnione perficiuntur mutuo. Vnitiua virtus est Dei. Lege sec. 2. Theo. 5.

In eadem pag. 21. vult probare Dominus meus corpus mortuorum non habere potentiam ad vitam, & citat T. 10. lib. 2. de An. *Non est autem quod abiecit animam potentia existens vt viuat*. Quasi sit sensus: quod est mortuũ, & abiecit animam, quam habebat, nõ est potentia viuens, non habet potentiam ad vitam. Ego dico aliam esse expositionem tex. illius 10. & p. accipio ex 9. met. t. 12. quando loquimur de potentia, nõ venire in considerationem potentiam remotã, sed proximam, ita docet ALEX. citato 9. met. com. 11. Venio nunc ad expositionem tex. 10. lib. 2. de An. Dixerat ARISTOT. in t. 6. animã esse actum corporis naturalis *potentia vitam habentis*. Explicat quid sibi velit illud potentia vitam habens, an intelligatur potentia priuata actu, vt in semine; an potentia coniuncta actui, vt in viuente, & determinat intelligi debere de

po-

potentia iuncta actui. Dubium erat de potentia proxima, quæ vere est potentia, nō de remota, nā nemo dicet aut dubitabit an cadauer sit potētia vitam habens, sicut dicitur de semine. Ita exponit illum T. SIMPLICIVS: THEMIST. ibi nescio quid permiscet de cadauere, at vere parum ad rem, non erat enim dubium an de cadauere posset intelligi *esse potentia vitam habens*, cum nō sit potentia viuens, nisi remotissima. optime ALEX. 2. de An. cap. 5. *non sic vocem hanc, potentia, tunc de corpore prædicamus, vt solemus de ijs loqui; quæ non dum aliquod habent, apta cum sunt ad recipiendum.* Ecce tangit potentiam proximam priuatam actu; & illam excludit; at cadauer non est *id quod nondum habet, & aptum est ad recipiendum;* nisi valde remote sed de semine est verum hoc. Neque facienda est vis in illo verbo *abiecit*. Quod videtur significare prius habuisse postea amisisse animam, quod mortuo conuenit, nō semini, nam illud verbum *abiecit* ibi idem valet, ac vacat, caret, priuatum est, non habet vt ex pluribus expositoribus patet ibi. Habet ergo vt concludam anima separata actum in quem tendat secundum hanc suam potentiam, & inclinationem, scilicet *complementum totius speciei, & esse totius*, in quo ipsa quoq; completur, vt pars vnita suo toti.

PAG. 22. RATIO TERTIA.

Nullum ſimpliciter incorruptibile eſt ſimpliciter potentia, anima ſeparata eſt ſimpliciter incorruptibilis,

Ergo anima ſeparata ſimpliciter non eſt potentia, ergo non habet potentiam vt rurſus cum corpore vniatur.

RESPONSIO.

Quo modo anima ſeparata eſt incorruptibilis, eo modo non eſt potentia, ſed prout in ea aliquid fieri, & aliquod corrumpi poteſt, ita eſt in potentia; vnio in ea poteſt fieri cum non ſit: ad hanc eſt in potentia: vide S. THO. M 9. meta. lec. 9. vbi incorruptibilibus non negat omnino potentiam. Hoc applico animæ ſeparatæ, ipſa eſt incorruptibilis ſecundum ſubſtantiam ſuam, ſed quoad aliquid corruptibilis, nam in actu ſeparationis fuit in ea corruptus modus ſubſtantialis vnionis. In reſurrectione hic modus reproducetur, quoad hæc anima aliquod patitur, ideo eſt in potentia paſſiua. Summatim dicam. Prout eſt incorruptibilis in ſuo eſſe non eſt in potentia, ſed pro eo, quod in ea poteſt corrumpi, ideſt pro vnione cum corpore, poteſt eſſe potentia: Ita etiam materia prima vt eſt incorruptibilis, ſiue in reſpectu ad ſuum eſſe incorruptibile entitatiuum non eſt in po-

tentia nam est actu materia non potentia, sed quoad habere formas est potentia;& vt sic corruptibilis, cum aliquando habeat formam, aliquando illam ammittat, vt dicitur lib. P. phys. 82. Glos. ergo clare maiorem : substantialiter incorruptibile vt sic, est actu, non potentia ad illud esse incorruptibile; sed quoad ea quæ in eo corrumpi possunt esse potest in potentia; anima non est in potentia ad ea quæ habet *incorruptibiliter*; at ad ea quæ habet *corruptibiliter* : talis est vnio cum corpore, ad hanc esse potest potentia vt dicunt CONIMB. Trac. de Anima separata Disp. 2. art. P. anima separata habet *priuationem informationis* si priuationem ergo potentiam ad informationem nam priuationi est semper annexa potentia, ita ARISTOT. cap. de oppositis.

PAG. 23 ET 24. RATIO IV.

Nulla potentia naturalis est ad actum simpliciter incorruptibilem; potentia animæ ad corpus denuo subeundum est ad actum penitus incorruptibilem, ergo illa non est potentia naturalis; probatur minor, nam resurgemus immortales, & vnio animæ, & corporis non amplius dissoluetur.

RESPONSIO.

Actum aliquem esse incorruptibilem duobus modis

dis

dis poteſt contingere p. ab intrinſeco, & ex natura talis actus, 2. ab extrinſeco, nempe ex Dei voluntate ſic diſponentis; De Actu incorruptibili ab intrinſeco tranſeat maior, ſed minor negatur, quia illa vnio animæ, & corporis futura in fine ſæculi non erit incorruptibilis ab intrinſeco, & ex vi vnionis, ſed ex Dei beneplacito: ideo ad illam vnionem terminari poteſt potentia naturalis. Accedant auctoritates grauiſſimorum ſcriptorum S. THOMAS in Opuſc. 3. P. 1. cap. 155 *Non auferetur mortalitas per ablationem propriæ materiæ, non enim reſumet anima corpus cęleſte, vel aereum, ſed corpus humanum ex contrarijs compoſitum; incorruptibilitas adueniet ex virtute Diuina*. Habet ergo anima quod naturaliter appetat ſcilicet humanum corpus, naturaliter ex ſe corruptibile vt erat prius quia ex contrarijs compoſitum, at incorruptibile factum ab extrinſeco, a Dei voluntate. Huc tendit Doctrina D. BONAVENTVRÆ a me ſupra relata ſec. P. cap. 6. ibi diſtinguit D. BONAV: vnionem, vt naturalem, ab immortalitate corporis reſuigẽtis, tanquam ſupernaturali dono ſuper addito. Potentia naturalis eſt ad vnionem naturalem ſecundum ſuam ſubſtantiam cũ corpore humano: Nolo omittere conſiderationem RICHARDI in 2. diſt. 19. art. 3. q. 1. *non pertinet ad ſinceritatem*

tem humanæ naturæ corruptibilitas , siue incorruptibilitas , quia neutra facit , aut destruit hominem: & bene probat ex ANSELMO lib. 2. cur Deus homo cap. 11. & aperte sentit hoc ARISTOT. lib. 4. Top. cap. 5. loco 68. *passio vitæ , & accidens immortalitas est , quod autem sit verum quod dicitur manifestum fiet , si quis admittat aliquem ex mortali fieri immortalem, nullus dicet aliam vitam eum sumere , sed accidens aliquod vel passionem, huic eidem aduenire*. Hæc intelliguntur quando immortalitas non est ab intrinseco vi speciei, sed ab extrinseco vt in casu nostro: si ergo in resurrectione manet humana species quamuis in esse incorruptibili habebit anima quid appetet per naturam idest complementum *humanæ speciei*. Vide infra sec. 4. n. 33.

Pag. 25. *&* 26. *Ratio Quinta.*

Forma non appetit materiam: Anima est forma, & corpus est materia, ergo Anima non appetit Corpus. Maior probatur quia materia non habet rationem perfectiui erga formam sed versa vice.

Responsio.

Iam fuse ostendi in sec. P. cap. 3. n. 5. & sequentibus non solum materiam appetere formam, vt ait ARIST. 1. Phys. 81. sed etiam vice versa *formam appetere suam materiam*, mitto itaq; Lectorem

ctorem ad illud cap. 3. & hic breuiter respondeo negando maiorem propositionem, ratio negationis videnda citato cap. 3.

In pag. 26. & 27. Ratio 6.

Materia est ad formam, cum relatione, & habitudine sed nō vice versa forma ad materiam, quia habemus 2. phys. 26. materiam esse ad aliquod, at non de forma hoc legimus: anima est forma, ergo non relatiua ad materiam, siue ad corpus,

Responsio.

Hoc argumentum soluit discursus factus in sec. P. cap. 3. legantur ibi scripta, interim hic breuiter respondeo, negando illam partem antecedentis, *forma non est ad materiam;* Textus 26. lib. 2. phys. debet intelligi iuxta explicationem optimorum interpretum, videlicet SIMPLICII, & AVERR. vterq; illorum ibi indicat relationem mutuam inter materiam, & formam esse. Vere ibi ARIST. hoc expressit de materia ad formam sed nō negauit de forma ad materiam, aliunde autem constat etiam formam dici ad materiam, vt late ostendi citato cap. 3. & in cap. 4. illius primæ sectionis hoc applicaui etiam animæ intellectiuæ, tamquam veræ formæ. Imo Dominus meus infra pag. 73. habet hanc propositionem *etenim materia, & forma sunt ad ali-*

quid

quid, enunciat hoc etiã de forma. In eadem pag. 26. affertur à Domino meo t. 91. lib. 2. phyſ. ex quo ducitur argumentum valde apparens, & conſideratione dignum. Comparat finem cum materia, nomine finis intelligendo formam, & ſic ait ARIST.: *Cauſa enim hęc materiæ eſt, ſed non hac ipſius finis*. Hinc ſequitur vt materia dependeat a fine, & ad illum referatur, non vice verſa, finis ad materiam. Sed vere ALBERTVS illũ locum optime declarat, in 2. phyſ. Trac. 3. cap. vltimo ſic debemus ex ALBERTO diſtinguere. Materia conſideratur duobus modis, P. vt ſubijcitur motui, & ab efficiente mouetur in finem 2. vt ex ea educitur illa forma quæ producitur, & ille finis in quem ordinatur. Priore modo conſiderat materiam ARIST. in 2. phyſ. citato t. 91. & dicit finem eſſe cauſam materiæ, nam materia vt ſic præparatur, & ordinatur in finem, non finis in materiam. Poſteriore modo materia eſt vera cauſa finis, ſiue formæ: quia ille finis in quem ordinatur materia, quando producitur, cauſatur a materia; educitur enĩ de eius potentia; expreſſit hoc ALBER. loco nuper citato; primo explicat finem eſſe cauſam materiæ, *vt materia ſubijcitur motui, ſecundum quod mouetur ab efficiente*, & ita conſiderat ille t. 91. Deinde docet materiam vice verſa eſſe cauſam finis,

ſiue

siue formæ: *quia est causa eius sicut subiectum, & hoc secundum esse finis*. Idest entitas finis, siue formæ dependet a materia vt a suo subiecto, & causa; Materia quoque vt ab efficiente ordinatur in finē a fine pendet vt a causa; sunt ergo sibi inuicem causæ, in diuerso tamen genere, ideo ad se inuicem relata. Quæ hactenus dixi intelligantur de formis corruptibilibus; nam anima intellectiua pendet a materia non quoad esse, sed quoad vnionem, & informationem tantum.

In Pag. 27. & 28. Ratio Septima.

Potentia naturalis, & eius subiectum spectant ad physicam considerationem, anima separata nō pertinet ad physicam considerationem, ergo anima separata non est subiectum physicæ inclinationis.

Responsio.

Concessa maiore, nego minorem. Ita absolute prolatā dico enim de anima separata esse distinguendum: habet aliqua prædicata conuenientia sibi tanquam formæ, aliqua illi debita ex conditione status separationis. Quoad illa priora ad physicum spectat, quia hæc non possunt cognosci nisi in habitudine ad materiam; ideo a physico; ex lib. 6. Met. t. 2. in hoc ordine est inclinatio naturalis ad vnionem cum corpore,

pore,

pore,, esse formam, & esse naturaliter informatiuam ; Posteriora nullo modo pertinent ad physicum, V. G. Intelligere posse sine phantasmate, se ipsam per se ipsam posse cognoscere, nō indigere ad hoc specie . Et alia huiusmodi . Sunt ergo aliqua in anima separata quæ spectāt ad physicum : Confirmo, quia iam probaui sec. 1. cap. 7. Animam separatam esse formam, ideo esse naturam : est enim adhuc anima, non est facta Angelus, ergo est forma, vt sic spectat ad physicum.

Deinde in pag. 27. citatur tex. 26. lib. 2. phys. quasi in vltimis verbis dicat animam intellectiuam vt separabilem pertinere ad metaphysicum: Dico esse alienum ab illo t. 26. loqui de separabilitate animæ intellectiuæ; illa vltima verba hūc sensum referunt, *quomodo autem se habeat ea quæ est separabilis, & quid sit philosophiæ primæ est officium determinare*, ita omnes meliores expositores declarant. Intelligentias ille tex. significat, & Metaphisico assignat : de anima separata nihil ibi. dixi FVSIVS in disputatione de immobili motore sec. 2. cap. 8. n. 21. ibi lege . In summa anima separata quatenus materiam non respicit a physico consideranda non est ; sed quatenus materiam respicit ; physice contemplationi subest : Videat curiosus Lector RVVIVM

fusius

VM in lib. de anima quæst. Proæmiali prima, & SVAREZ Disp. P. sec. 2. n. 18. item CARDIN. TOLETVM qu. 2. proæmial. concl. 2. & secundum hanc doctrinam, & distinctionem debemus interpretari lib. P. de partibus cap. 1. citatum a Domino meo pag. 28.

In Pag. 28. & 29. Ratio Octaua.

Anima separata non est natura, ergo non habet ad corpus naturalem inclinationem.

Responsio.

Nego antecedens, & dico animam separatam esse veram naturam hominis, & veram formam, & animam, fuse hoc probaui sec. 1. cap. 7. : Hic a Domino meo citatur cap. p. lib. 1. de partibus, cui sic respondeo vna cum RVVI. q. 1. proæmiali in lib. de anima n. 27. Anima separata quoad ea in quibus cum Intelligentijs conuenit in modo essendi, & operandi, neq; est natura, neq; ad physicum spectat, hæc enim congruunt statui separationis, qui est superior physica : sed quatenus respicit corpus, & non est penitus a materia absoluta, saltem, quoad aptitudinem informandi, & quoad habitudinem veræ partis essentialis, sic a physico est cōsideranda, & ē vera natura, vtile erit legere ea quæ scripsi supra sect. pr. cap. 5. de Anima separata, vide etiam in illa sec. p. cap. 7., nam si anima separata remanet forma erit

etiam natura. Sed certum est remanere formam

In Pag. 29. & 30: Ratio Nona.

Omnis potentia, & inclinatio naturalis est gratia finis, & actus qui naturaliter per generationem potest comparari, anima separata post hominis interitum non respicit finem, & actum per generationem comparabilem, ergo Anima separata non habet vllam huiusmodi potentiam naturalem.

Responsio.

In Theor. P. continetur solutio huius rationis; sic respondeo in forma ad maiorem; Potentia, & inclinatio naturalis, quantum ad se, & ex sui natura respicit finem, qui per generationem potest simpliciter loquendo acquiri. sed in aliquo casu, & facta aliqua suppositione, inclinatio naturalis esse potest ad actum tunc non acquisibilem per naturalem generationem, & in hoc casu, & suppositione est verum 2. Theorema sec. 2 *Naturale est quoad inclinationem, non naturale quoad assequutionem;* Legat Lector attente illa duo Theoremata; & erit satis. Pro responsione ad hanc rationem nonam. Anima quatum ad se est per generationem naturaliter vnibilis corpori; at si supponatur corpus mortuum non potest sic vniri, sed retinet adhuc naturalem inclinationem: non recedat Lector a duobus illis Theorematibus.

Hic

Hic nolo ibi dicta repetere longius.

In Pag. 30. & 31. Ratio Decima.

Omnis potentia naturalis reduci debet ad actum per motum eius quod habet illam potentiam, ista est potentia naturalis animæ separatæ, ergo debet reduci ad actum per motum animæ habentis illam potentiam, at hoc fieri nequit quia anima separata non est vlla ratione mobilis.

Responsio.

Concedo totum, solum illa vltima verba nego, *at anima separata non est vlla ratione mobilis,* nam si habet potentiam passiuam sequitur etiam vt sit mobilis secundum illam potentiam; sed est potentia passiua in anima separata, vt probaui sec. 2. Theor. 6. est ergo mobilis alteratione perfectiua, recipiendo modum vnionis substantialis; vt dixi sec. 2. citato Theor. 6. est etiam mobilis motu locali, ita vt si distet a corpore possit fieri præsens, & illi proxima suo motu locali: quamuis enim de hoc nihil habeamus expressum apud ARIST. tamen eius principijs non repugnat. Nam quod occupat locum diuisibilem, & habet potentiam passiuam potest moueri de loco ad locum, anima occupat, si vult, locum diuisibilem: non est enim tanquam punctum, sed est indiuisibilis extra sitũ. Ita vt possit coexistere loco diuisibili sicuti Angelus. Et quia in hoc quæsito nos procedimus

modo Theologico, vt ſciamus ſynceram veritatē ideo debemus admittere motum animæ ſeparatæ, vt conceditur etiam Angelos moueri, ſicuti late diſputatur in P. parte qu. 53. videantur interim quæ de motu Animæ ſeparatæ ſcribit Auerſa q 59. ſec. 2. et erunt ſatis pro ſolutioee huius argumenti. Non miror quod ALEX. in P. de An. cap. 7. dicat animam eſſe immobilem per ſe, quia credit eam eſſe inſeparabilem a corpore; ſed nos qui dicimus eam eſſe ſeparabilem per ſe ſubſiſtē-tem, & cum potentia paſſiua, poſſumus concedere eam eſſe per ſe mobilem quando eſt ſeparata. De hac animæ coexiſtentia loco diuiſibili & de eius mobilitate vide FICINVM lib. 3. Theolog. cap. 2.

In Pag. 31 & 32. Ratio Vndecima.

Omnis potentia naturalis reducitur ad actum ab agente eiuſdem ſpeciei, vt potentia homo ab homine actu: iſta potentia non reducitur in actum ab vllo agente eiuſdem ſpeciei, vt ab homine, ſed a ſolo Deo ſupernaturaliter operante ergo non eſt potentia naturalis.

Reſponſio.

Nego maiorem. ita abſolute acceptam, nam oportet in reſurrectione diſtinguere duo. Subſtantiā vnionis, & modum eius, ita dixi ſec. 1. cap. 6. & clare probaui. Iſta vnio quoad ſubſtantiam eſt

ſem-

ſemper naturalis: at quoad modum eſt ſupernaturalis. Argumentum Domini mei eſt validum, & maior vera quando iſta vnio eſt naturalis etiam quoad modum, at nos hic loquimur quando eſt ſupernaturalis quoad modum, & naturalis quoad ſubſtantiam ſolum. Verum iam oſtendi in ſect. 2. Theor. 1. & 2. poſſe naturalem inclinationem reduci ad actum ab agente ſupernaturali, nam ſæpe naturale quoad inclinationem eſt ſupernaturaliter attingendum, & acquirendum. Vide illa duo Theoremata, & dicas aliquando potentiam naturalem ad actum reduci ab agente ſupernaturali, non eiuſdem ſpeciei.

In Pag. 32. & 33. Ratio Duodecima.

Omnis potentia, & appetitus naturalis eſt ad aliquẽ finem, qui ſit bonus appetenti; & eius perfectio; animæ ſeparatæ reiterata vnio cum corpore nihil addit boni, neq; eſt illius perfectio, imo eſt potius mala, ergo anima ad hanc vnionem non habet appetitum naturalem, neq; potentiam, ſiue inclinationem per naturam.

Reſponſio.

Conceſſa maiore, nego minorem: nam fuſe oſtendi ſec. 2 præcipue cap. 5. & 7. animam perfici in vnione cum corpore, quando acquirit complemẽtum ſuæ ſpeciei. Eſt enim naturaliter pars eſſentialis, in toto habet eſſe perfectius quam habeat

a ſuo

a suo toto separata. Hæc considera, & solue.
Deinde in pag. 33. affertur ARIST. testimonium ex P. de An. t. 49. vbi sic ARIST. ait, *melius est intellectui non cum corpore esse, quemadmodum consuetum est dici, & multis placet*. Resp. cum S. THO. 1. p. q. 89. art. 2. ad pr. commercium cum corpore dare animæ aliquod bonum, & aliquod malũ, in illud bonum, quod est naturale, & in actu primo inclinatur naturaliter anima, & hoc est *eße totius, & complementum speciei* cuius anima est pars. Malum est quia obscurius intelligit anima in corpore, quam separata vt late PLVTARCHVS in consolatione ad APOLLONIVM; sed incommodũ hoc non destruit hunc appetitum naturalem, & ostendo a simili: per ea quæ dixi hac sec. 3. n. 11. ex ARIST. 3. Politicæ cap. 4. viuere omnes amamus, quamuis illi multa mala, & aspera sint coniuncta; ita appetit anima corpus in complementum speciei, & esse totius: mala adiuncta non remouent hunc appetitum. Lege a me scripta in hac sec. 3. in resp. ad rationem 2. item infra sec. 4. n. 17. & videbis qualem perfectionem nanciscatur anima ob vnionem cum corpore, propter quã ad illam inclinatur naturaliter. Considero quod in illo 49. lib. P. de Anima, arguit ARIST. contra PLATONEM, & ideo plura accipit ab illo dicta, & concessa ita vt arguat ad ho-
minem

minem : PLATO ſemper dicebat eſſe malum commercium animæ,& corporis, hunc modum loquendi imitatur ARIST. in t.49. lege quæ de PLATONE dixi ſupra ſect. 3. n. 15. & huc applica. Placet quidem PLATONI ita dicere, at non ita ARIST. qui animam vult eſſe informantem; videndus S. THO. 1. de An. lectione 8. in expoſitione illius t. 49. . In eadem pag. 33. citatur tex. 51. lib. 12. Metaph. ſed reſeruandus loco opportuniori inferius; vbi rurſus citatur, & latius explicatur . Ibi ego afferam veram expoſitionem illius tex. 51.

In Pag. 33. & 34 Ratio Decimatertia.

Separatum a materia non habet naturalem potentiã patiendi, ex P. de Gen. 55. Anima eſt ſeparata a materia, ergo nõ habet naturalem potentiam patiendi, ergo non habet potentiam naturalem vt vniatur corpori.

RESPONSIO.

Iſta ratio parum diſtat a prima : Reſpondeo ergo ſic diſtinguendo: ſi loquamur de paſſione corruptiua concedo maiorem, ſeparatum enim a materia ſic non patitur naturaliter, ſecus ſi de paſſione perfectiua, 3. de an. t. com. 14. lege ſupra in hac eadem ſec. 3. reſponſionem ad 1. rationẽ. Verum ad P. de. Gen. T: 55. ſic reſpondeo: erat ibi ſermo ARIST. de agente phyſico quod agendo re-

patitur,

patitur, dicit ARIST. si agens sine materia dum agit non repati, nam vt aliquod agendo repatiatur esse debet in materia p. de Gen. 54. & communicare in eadem materia cum eo in quod agit, 1. de Gen. 87.: at non propterea passio pure perfectiua excluditur a re separata a materia, præcipue ab anima intellectiua quæ etiam separata retinet intellectum possibilem, per S. THOM. 1. p. q. 77. art. 8. & propterea posse pati passione. saltem perfectiua, de qua S. THO. 1. p. q. 79. art. 2. & ARIST. 3. de an. 14 vbi in Comm. videndus AVERROES.

In pag. 34. & 35. Ratio Decimaquarta.

Omnis potentia naturalis reduci debet ad actum per motum physicum in materia disposita; anima separata non reducitur ad actum vnionis cum corpore per motum physicum, in materia disposita, ergo anima separata non habet ad hoc potentiam naturalem.

Responsio.

Primo ad maiorem dico esse veram quando debet reduci ad actum modo prorsus naturali, secus quando modus reducendi est supernaturalis. vide sec. 2. Theor. 1. n. 2. per totum, & apparebit posse esse potentiam naturalem quæ ad actũ reducatur ab agente supernaturali. Deinde respondeo ad minorem. Aut loquimur antequã

corpus

corpus reformetur a Deo, Aut post corporis reformationem, si priore modo loquamur in cineribus est dispositio solum remota, vt dixi sec. 2. Theor. 4. sed post corporis reformationem factā a Deo miraculose, est materia proxime disposita ad animam recipiendam naturaliter vt probatum est sec. 1. cap. 6. n. 6. 7. & 8. & citato Theor. 4. Dico ergo supposito miraculo reformatiōnis corporis istam vnionem esse naturalem, & secundum naturalem inclinationem proximam, tam animæ quam corporis reformati: Placeat legere quæ attuli in fine P. Theorematis In summa concludo reformationem corporis esse miraculosā, sed ea supposita vnionem animæ, & corporis reformati esse naturalem sec. 1. cap. 6. & hoc *indicat naturalem animæ inclinationem.*

In Pag. 36. & 37. Ratio Decimaquinta.

Post mortem hominis vt materia se habet ad animā recipiendam ita anima ad materiam subeundā sed materia non habet potentiam naturalem ad animam sicuti neque ad formas corruptas ergo neq; anima tunc ad subeundam suam materiam habebit naturalem potentiam.

Responsio.

Dico 1. ad maiorem, & iam dixi in solutione rationis 2. non esse omnino veram. Probaui enim in Theor. 4. in cineribus ante reformationem esse

R tantum

tantum potentiam remotam ad animam, sed in Theor: 7. dixi in anima esse potentiam passiuam proximam. Ideo non sunt omnino pares anima, & cineres. Nam cineres intrinsece sunt indispositi, anima ex se est eadem ac prius. Et patet ex. S. THOM. in 4. dist. 43. q. 1. art. 4. q. 3. ad 2. cum alijs citatis supra Theor. 7. Post reformationẽ vero sunt æquales cineres, & anima, & ambo in potentia proxima ad vnionem sec. 1. cap. 6. Secundo dico ad minorem materiam conseruare potentiam etiam ad formas in se corruptas, saltem remotam, vt dixi late in Theor. 2. quem locum videat Lector, vt soluat hanc instantiam.

In Pag 37. & 38. Ratio Decima sexta.

Omnis potentia naturalis est ad actum physice possibilem, ista potentia non est ad actum physice possibilem, ergo ista non est potentia naturalis. Minor probatur, quia resurrectio, & reiterata vnio animæ cum corpore non est physice possibilis.

Responsio.

Nego maiorem si loquarur in quocunque statu, & qualibet facta suppositione: & ex probatis in Theor. p. dico; illum esse actum naturalem qui ex se absolute, & simpliciter potest acquiri viribus naturæ vt sic; quamuis postea facta aliqua suppositione ab extrinseco, non possit amplius naturaliter

raliter

raliter acquiri, tamen adhuc remanet in suo esse actus naturalis. Idem dico de potentia naturali. Itaq; inclinatio animæ ad corpus est naturalis, quia quantum ad se est reducibilis ad actum vi naturalis agentis, quod contigit in prima vnione: nunc facta suppositione mortis, non potest reduci ab agente naturali modo naturali, tamen remanet in se potentia natnralis, & respectus ad actum naturalem; acquirendum tamen per actionem agentis supernaturalis. Sed videat Lector illud Theor. pr. præcipue n.2., ne cogar dicta repetere sœpius.

In Pag: 38. & 39. Ratio Decimaseptima.

Omnis potentia naturalis debet reduci ad actum ab agenre physico, vel saltem physice agente: Sed ista potentia non reducitur ad actum ab agente physico, neq; physice agente, ergo non est potentia naturalis.

Responsio.

Nego minorem. Hic oportet distinguere. Deus primo reformat cineres, & hoc facit tanquam agens supernaturale, nõ physice agens, facit enim miraculum. Deinde vnit animam corpori iam reformato, & hoc facit vt agens physice, siue vt auctor naturæ. Facit enim vnionem naturalem in reparationem naturæ, & ideo hæc actio est naturalis, & vnio secundum naturam vt supra sec

1. cap. 6. n. 6. 7. & 8. nego ergo minorem. Scilicet quod iſta vnio fiat a Deo vt ſupernaturaliter agente; ſed Dominus meus confundit vnionem naturalem, eqũ reformatione corporis ſupernaturali, & miraculoſa, iſta ſunt diſtinguenda, ne erremus arguendo.

In Pag. 39. Ratio Decima octaua.

Qualis eſt vnio talis eſt potentia ad vnionem, at vnio eſt ſuper naturalis, ergo & potentia ad vnionem erit ſuper naturalis.

Reſponſio.

Nego minorem nam illa vnio eſt quoad *entitatem* ſuam, & *ſubſtantiam omnino naturalis*. Vide ſec. P. cap 6. per totum modus vnionis ad ſummum eſt ſupernaturalis, non vnio.

In Pag. 39. & 40. Ratio Decimanona.

In hac vnione æqualitet ſe habent duo vnienda. Videlicet anima, & corpus, & vt anima ad corpus, ita corpus ad animam. Sed corpus mortuum per nullam potentiam naturalem ordinatur ad animam, vt illi vniatur, ergo neq; anima inclinabitur ad corpus per vllam potentiam naturalem.

Reſponſio.

Ad maiorem propoſitionem dico illam nõ eſſe omniquaq; veram, nam ntea reformationem corpus habebat ob ſui indiſpoſitiones ſolum potentiam remotam ad reunionem; anima vero, quan-

tum

tum ad se, erat intrinsece proxime disposita, vt vniretur corpori, impediebatur tantum extrinsecus ab indispositione corporis, ita conclusi in Theor. 7. & dixi supra soluens rationem 2. & 15. & ita nego hæc duo fuisse paria omnino, concedo si intelligatur post corporis reformationem; tunc enim corpus acquisiuit potentiam proximam ad recipiendam animam sicut anima habebat ad corpus informandum. Deinde ad minorem dico corpus mortuum ante reformationem remote saltem fuisse ordinatum ad animam suscipiendam, post reformationem etiam proxime, vt late dixi Theoremate 4 quod occasione huius argumenti omnino legendum est, & ita possum hic negare tam maiorem quam minorem propositionem, in sensu exposito.

In Pag. 41 *&* 42. *Ratio Vigesima.*

Si esset in anima vlla potentia naturalis ad actum reunionis, esset etiam actus vnionis naturalis, at ille actus non est naturalis. Ergo neq; potentia, probatur sequela maioris quia potentia, & actus esse debent in eodem genere, probatur minor, quia resurrectio corporum est supernaturalis, & illa reiterata vnio incorruptibilis supernaturaliter a Deo inducenda, non vi naturæ obtinenda.

Responsio.

Concessa maiore, nego minorem. Nam quoad genus,

nus, vnio est de genere substantiæ ad quod genus etiam reducitur inclinatio animæ, cum ab essentia animæ nō distinguatur item actus ille vnionis est secundum suam substantiam naturalis, sec. 1. cap. 6. ex se item, & ab intrinseco non est incorruptibilis, sed solum extrinsece ob voluntatem Dei, vt supra hac sec. 3. ad rationem 4. Summatim reassumo. & concludo breuiter: Animæ inclinatio, & actus vnionis sunt eiusdem generis videlicet substantiæ; corrupta vnione animæ, & corporis in morte, permansit inclinatio animæ ad repetendam vnionem, vt dixi hac sec. 3. n. 6. Vnio in finali resurrectione quantum ad se esset corruptibilis, vt fuit prima vnio, erit incorruptibilis non ex vi vnionis, sed ab extrinseco, sic volente Deo vt supra hac sec. 3. ad rationem 4. Requiritur solum vt Deus reformet corpus, quod faciet miraculose, hoc supposito miraculo, vnio animæ, & corporis fiet ita naturalis sicut fuit prima vnio in conceptione, vt dixi. Sect. P. cap. 6. in fine.

In Pag. 43. & 44. Ratio Vigesima prima.

Si anima haberet hanc potentiam naturalem ad corpus, vtiq: ad corpus suum quod antea animauerat non ad aliud, at hoc esse nequit, nam illud corpus potest non esse amplius, saltem per naturam reparari non potest physice; ideo ad illud physica

poten-

potentia esse nequit, nec inclinatio naturalis, nec relatio.

Responsio.

Nego minorem. Relationes enim transcendentales possunt terminari etiam ad terminum non existentem actu, vt SVAREZ in Metap. disp. 47. sec. 4. n. 5. & communiter hoc est receptum. Quocirca si Deus annihilaret omnes formas, & solam, nudamq; materiam conseruaret, adhuc illa haberet relationem transcendentalem ad formas quāuis actu non existentes. Vt obseruant CONIMBR. 1. phys. cap. 9. q. 6. art. 4. Anima ad corpus habet relationem transcendentalem, ideo corrupto corpore manet inclinatio, item remanet in anima inclinatio naturalis quamuis in id deuenerit, vt ab agente naturali corpus refici, & reformari nequeat, vt supra dixi sec. 2. Theor. pr. & 2. sæpius citatis. Sequitur solum vt ista vnio modo naturali fieri nequeat, sine præcedente aliquo miraculo.

In Pag 45. Ratio vigesima secunda.

Vbi potentia passiua ibi imperfectio, & priuatio, in anima separata non est imperfectio, cum hæc possideat optimum statum, ergo neq: est potentia passiua.

Responsio.

Concessa maiore, nego minorem, de qua legat Le-

ctor

ctor sec. pr. cap. 5. & cap. 7. & videbit statum animæ separatæ esse cum imperfectione adiuncta; & animam in vnione perfici; Dixi etiam supra in resp. ad rationem 12.

In pag. 46. Ratio vigesima tertia.

Anima est indifferens ad habendum corpus, & non habendum ergo post dissolutionem a corpore non retinet potentiam, & aptitudinem ad informandum, quam habebat quando actu informabat, & hoc vi istius indifferentiæ.

R*esponsio.*

Distinguo antecedens, aut loquimur de habere, & informare corpus *actu*, aut de esse *informatiuum corporis*, *aptitudine*, *& habilitate*, si accipimus illo priore modo concedo animam esse indifferentem ad habendum, & non habendum actu corpus, sed est determinatissima quoad aptitudinem, & inclinationem ad Corpus, Siue ad habendum aptitudinaliter. Videnda ea quæ scripsi supra hac sec. 3. n 4. & quando hic dicitur a Domino meo materiam non retinere potentiam ad formas in se corruptas, ego hoc nego, & mitto Lectorem ad sec. 2. Theor. 2. quando dispositiones in materia non sunt, proxima deficit potentia, & habilitas, & retinetur potentia remota. Vide Theor. 4. vbi fuse de hoc disputatum est.

In

In pag. 48. Ratio Vigesima quarta.

Corpus mortuum ad animam non habet inclinationem naturalem, ergo neq; anima ad corpus Antecedens probatur, nam corpus mortuum est maxime indispositum pro recipienda anima. Consequenria, quia aut sunt pares, aut magis deberet corpus appetere animam quam contra.

Responsio.

Ante reformationem, de inclinatione remota corporis nego antecedens; post reformationem de inclinatione, & potentia proxima nego etiam antecedens iuxta Theor. 4. illud propono legendum; & solutionem rationis 15.

Quia has omnes rationes attulit Excellentissimus Dominus meus de mēte Aristotelis ideo Lector eruditus distinguas id quod est super naturale, ab eo quod est naturale. Reformatio cinerum est res supra naturam, ob hanc causam fortasse Arist. negaret esse possibilem resurrectionem, vt p. de aīa 41. Vnio vero aīæ, supposita reformatione, est ita naturalis sicuti fuit prima vnio in conceptione. Vide sect. 1. cap. 6. & Theor. 2. rationes allatæ, hæc non distinxerunt: sed distinguit qui soluit, si Deus vellet vnire animam lapidi illa esset vnio omnino supernaturalis, secus si vniat corpori humano, diuinitus reformato: nā vnit formam materiæ suæ naturali.

In pag. 48. & 49. Ratio Vigesima quinta.

Ex principijs S. THOM. conatur Dom. meus destruere hanc naturalem inclinationem animæ separatæ sed frustra nã S. THOMAS est defensor huius inclinationis vt supra sect. 1. cap. 5. & 6. si hanc inclinationem habent animæ beatæ, haberent etiam, inquit Dominus meus, damnatæ, consequens est falsũ, ergo & antecedens. Consequẽtia probatur, nam in naturalibus inclinationibus, & proprietatibus sunt omnes æquales; falsitas consequentis probatur, quia animæ damnatæ ex corporis resumptione nihil sibi perfectionis acquirerent, imo augumentum pænæ.

Responsio.

Concedo consequentiam, & nego falsitatem consequentis; verum distinguo, & accipio distinctionẽ apud Thomistas celebrem: quam explicite ponit FERR. 3. contra Gentes cap. 51. Appetitus naturalis duobus modis accipi potest p. pro appetitu consequente formam naturaliter, & vocari solet *naturæ pondus* 2 pro *actu elicito.* Si loquamur de appetitu accepto priore illo modo, animæ damnatæ appetunt sua corpora sicuti beatæ: & ob idem motiuum videlicet ad consequendum complementum suæ speciei, & esse totius naturalis, si vero loquamur de actu elicito fortasse possũt non appetere sua corpora, quia cognoscunt pro-

proinde illis augendam pœnam, & ita per accidens fit vt actu elicito non appetant illud, ad qđ per naturam inclinatæ sunt. Declaro ex S. THOMA in 4. dist. 50 q. 2. art. 1. q. 1 in damnatis duplex voluntas considerari potest inquit S. Doctor *Deliberatiua, & naturalis:* pergit S. THOM. & dicit voluntatem naturalem in illis esse bonam & ab auctore naturæ Deo, sed deliberatiuam posse esse malam: conformes ergo sunt naturali inclinationi bonæ sua voluntate naturali, at voluntate deliberatiua possunt non velle illud in quod inclinat voluntas naturalis: Ex illo eodem art. 1. q. 3. sic possum hoc explicare; suum esse vnumquodque amat naturaliter, tamen quia esse aliquando est coniunctum pœnæ, & non esse à pęna liberat ideo damnati amant per accidens se non esse: ita eædem animæ damnatæ naturaliter appetunt suis corporibus reuniri per se naturali pōdere voluntatis, sed deliberatiua voluntate, & secundum actum elicitum possunt non amare hanc resumptionem, tanquam causam maioris pœnæ, & hoc est amare per se, non amare per accidens, ita posset aliquis odisse se ipsum ex accidente p. 2. q. 29. art. 4. ad 2. & etiam Deum 2. 2. q. 34. ar. 1. Quod autem pœnę damnatorum post reassumpta corpora sint futuræ maiores, dicit S. THOMAS in 4. dist. 49. q. 1. art. 4. *miseria malorum post corpo-*

ris resumptionem erit maior, quam ante, quia nō solum in anima, sed etiam in corpore punientur. Et quia dicit Dominus meus beatas animas amare hanc corporis resumptionem gratia augendi gloriam atque ita amore supernaturali. Ego respondeo beatas animas amare hanc resumptionem in cōplementum sui esse, & speciei naturalis, & ideo naturali propensione, vt dixi late sec P. cap. 5.

In pag. 50. Ratio vigesima sexta.

Ex D. THOMA in 3. contra Gentes cap. 102. Ideo resurrectio dicitur esse miraculosa, & supernaturalis, quia fit à Diuina virtute circa subiectum, quod non habet potentiam ad hoc; subiectum vero sunt anima, & corpus quæ vniuntur per resurrectionem, ergo in neutro eorum est potentia naturalis ad hunc actum.

Responsio.

Inhærendo dictis in sec. 1. cap. 6. dico ad maiorem in resurrectione esse aliquid supernaturale, & aliquid naturale; est supernaturale quod cineres reformentur, & habilitentur ad animam suscipiendam, & hoc supra vires naturæ fit circa subiectum scilicet corpus, quod ad hoc non habebat potentiam nisi remotam, vt supra Theor. 4. & 5. sed quod corpori iam reformato vniatur anima eius naturalis forma est naturale, & fit à Deo, vt Physice operante legendum citatum cap. 6.

In pag. 51. Ratio vigesima septima.

Citatur idem S. THOMAS 3. contra Gent. ca. 102. & ex eo fit hoc argumentũ. Anima rationalis habet naturalem potentiam ad corpus dispositum per naturales dispositiones in vtero Matris, corpus quod resurget non erit dispositum ad animã recipiendam, ergo ad illud non habet naturalem potentiam anima.

Responsio.

Inhærendo dictis in sect. 1. cap. 6. nego minorem, quia à Deo corpus reformabitur, & disponetur miraculose, & illi sic reformato Deus vniet animã ideo resurrectio est naturalis quoad *substantiam vnionis*, non *quoad modum*; quia circunstantiæ erunt supernaturales, vt cinerum collectio, corporis reformatio, & reliqua huiusmodi. Solum est discrimen inter conceptionem, & resurrectionẽ, quia in prima vnione corpus formatum fuit per naturam modo naturali in secunda vnione reformabitur per miraculum à Deo modo supernaturali; quoad reliqua reunio secundum substantiã erit naturalis, *& eiusdem rationis cum prima vnione* vt bene AVERSA q. 59. sect. P.

In pag. 51. & 52. Ratio vigesima octaua.

Ex S. THOM. q. 1. de poten. art 3. & ita fit ratio. omni potentiæ passiuæ naturali debet correspondere aliqua virtus actiua naturalis, sed ad reiterato

vnien-

vniendam animam corpori mortuo nulla est vis actiua naturalis, ergo ad hanc vnionem non est potentia naturalis passiua in anima.

Responsio.

Huc aduocanda sunt ea quæ dixi in duobus Theorematibus p. & 2. dico ad minorem ista vnio est talis vt absolute, & quantum ad se simpliciter possit fieri per agens naturale; sed facta mortis suppositione non potest nisi supernaturaliter fieri; adhuc tamen manet in suo esse vnionis naturalis secundum substantiam, & permanet inclinatio naturalis quamuis non possit per vires naturæ reduci ad actũ; sed videantur illa duo Theoremata, & apparebit manifesta solutio: sufficit huic passiuæ potentiæ aliquando affuisse actiuam naturalem correspondentem, quamuis nũc eo deuenerit, vt non sit actiua potentia naturalis; adhuc manet passiua naturalis.

In Pag. 53. Ratio vigesima nona.

Citatur S. THOMAS q. 1. de potentia art. 3. ad pr. & sic inde arguitur; Ad ea quæ à Deo mirabiliter recipiuntur est potentia obedientialis, non naturalis, resurrectio à Deo mirabiliter recipitur, & à nulla causa naturali, ergo ad hanc est solum potentia obedientialis non naturalis.

Responsio.

Oportet legere dicta in hac sect. 3. n. 16. Distinguo, & ad

& ad minorem dico in resurrectione mortuorum, ad illa quæ sunt supernaturalia est potentia obedientialis; vt in cineribus ad reformationem miraculosam. Ad illa vero quæ sunt naturalia est inclinatio naruralis, qualis est post corporis reformationem vnio animę. Mirabiliter fit resurrectio, quia modo miraculoso operatur Deus vnionem naturalem: Videndum in sec. 1. cap. 6 & bene distinguendum quod est naturale, ab eo quod est supernaturale ne confundamur.

In Pag. 53. & 54. Ratio Trigesima.

Citatur S. THOM. in q. De virtutibus in Communi art. 10. in corpore, & fit hæc ratio. Ad perfectiones, & formas excedentes capacitatem, & facultatem naturalem recipientis nulla est in recipiente potentia naturalis, mortui suscitatio excedit capacitatem, & facultatem naturæ, & præcipue animæ, & corporis quæ sic vniuntur ergo ad suscitationem mortui, & ad hanc vnionem non habet anima recipiens potentiam naturalem.

Responsio.

Nego minorem, ita absolute acceptam reccurrendũ ad secundum Theorema. Hic duo consideranda sunt. 1. habitudo potentiæ receptiuæ ad actum qui recipitur, secundo ordo ad agens à quo fit. quoad illud prius est naturalis capacitas & connaturalis aptitudo formæ cum sua materia

ani-

animæ cum corpore neq; excedit proportionem & quoad hoc negatur minor. Quoad secundum est supernaturalitas, nam ab agente supernaturali reformari, & disponi debet corpus, vt fiat reunio naturalis; Nolo hic plura afferre satis est legere illa duo Theoremata p. & 2. & huc applicare.

In Pag. 55. Ratio Trigesima prima.

Citatur S. THOMAS in 1.2.q. 113 art. 10. partim in 2. arg. partim in corpore: & fit ratio ista. Rationalis anima non potest habere naturalem propẽsionem ad id quod fit contra naturalem eius inclinationem, & supra naturalem potentiam suæ materiæ, talis est resurrectio mortui ergo ad illam non habet anima naturalem inclinationem.

Responsio.

Nego minorem, quoad illam partem, *fit contra inclinationem animæ*. S. THOMAS in illo art. 10. in corpore solum dicit fieri *supra naturalem potentiam talis corporis*, quod propterea debet Diuinitus reformari, at fit non contra sed iuxta inclinationem naturalem animę. Vide sect. P. toto cap. 6 Negatur ergo minor.

In Pag. 55. & 56. Ratio Trigesima secunda.

Citat S. THOM. in 3. p. q. 11. art. 1. & fit hæc ratio. omnis potentia passiua naturalis in anima rationali reduci debet ad actum ab agente naturali:

Potentia animæ ſeparatæ ad vnionem cum corpore non poteſt reduci ad actum ab agente naturali,ſed a ſolo Deo, ergo illa non eſt potentia naturalis,ſed obedientialis,& ſupernaturalis.

Reſponſio.

Lege Theorem. P. & reſpondebis arg. Dico ad minorem,iſta potentia,& inclinatio quantum ad ſe natura ſua reduci poteſt naturæ viribus ad vnionis actũ; ideo eſt nãlis; facta mortis ſuppoſitione non poteſt amplius: permanet nihilominus in eſſe potentiæ naturalis; nolo longius repetere dicta in illo Theor. P. de cæco illuminato,& de motu cuius terminus eſt natura,ſed principium actiuum eſt ſupra naturam, illa ibi ſcripta conſiderẽtur,etiam ex S. THOM. doctrina.

In Pag. 56. Ratio Trigeſima tertia.

Citat D. THOM. in 2. diſt. 18. q. 1. art. 3. & educitur hæc ratio. Naturalis potentia eſt illa qua natura poteſt, vel agere, vel pati in ipſam ſubſtantiam facti. Sed quoad ſuſcitationem mortui natura non poteſt,neq; agere,neq; pati in ipſam ſubſtãtiam facti,ut ait S. THOM. in loco citato, ergo ad ſuſcitationem mortui non eſt potentia naturalis.

Reſponſio.

Circa minorem, diſtinguo de reſurrectione, ex ea parte qua miraculoſa eſt,& ſupernaturalis totum

concedo; sed ex ea parte qua naturalis est nego: natura enim potest pati hanc vnionem naturaliter, non facere lege sect. P. cap. 6. & adde si placet cap. 7. quoad modum, & actiuum principium est miraculosa, quoad terminum, & quoad inclinationem est naturalis.

In pag. 57. Ratio Trigesima quarta.

Citat D. THOM. in 1. dist. 42. q. 2. art. 3. & ducit hoc argumentum Anima rationalis habet solũ potentiam naturalem, ad subeundum corpus sibi præparatum, & dispositum: in resurrectione anima non vnitur corpori disposito, & præparato ergo non vnitur secundum potentiam suam naturalem.

Responsio.

Nego minorem, quia Deus reformabit corpus, & disponet per miraculum, supernaturaliter, sequetur postea vnio animæ, & corporis naturalis, quia anima vnietur corpori iam disposito, sect. P. cap. 6. disponetur materia supernaturaliter, vnietur anima naturaliter; sed à Deo.

In Pag. 58. Ratio Trigesima quinta.

Potentia omnis naturalis est secundum spem naturæ, resurrectio non est secũdum spem naturæ, imo supra spem ergo ad illam non est potentia naturalis.

Responsio.

Ad minorem dico sic: resurrectio est supra spem naturæ, quatenus est miraculosa, quoad modum propter supernaturalem cinerum reformationẽ, & quatenus non fit ab agente naturali ; sed est iuxta inclinationem naturæ. Inclinamur per naturam ad aliqua, quæ facta aliqua suppositione sunt supra spẽ naturæ quia cõsequi nõ possumus viribus naturæ. vt dixi Theor. 1. & 2. In P. vnione fuit inclinatio naturalis in anima, & in causa naturali potentia disponendi materiam ad vnionem: post mortem remansit inclinatio ob connaturalitatem partium, sed potentia actiua vniendi has partes, non in agente naturali permansit at soli Deo reseruata fuit. Memini me scripsisse sect. 1. initio cap. 6. aliud esse loqui de *inclinatione*, aliud de *potentia*: Hic est sermo de inclinatione, & propensione ad resurrectionem non de potentia actiua secundum quam attenditur spes faciendi resurrectionem. Illuminatio cæci est supra spem naturæ, non supra appetitum, & inclinationem. Ne recedas lector ab accurata obseruatione illius cap. 6.

In Pag. 59- Ratio Trigesima sexta.

Accedit Dominus meus ad SCOTVM, & citat illum in quæ 1. prologi: partim initio vbi facit argumentum, partim litt. Q. vbi respondet, & con-

ſtruitur hæc ratio, omnis potentia paſſiua naturalis requirit potentiam actiuam naturalem, quæ ſaltem diſponat ad recipiendum actum, ſed poſt mortem nulla eſt potentia actiua naturalis quæ poſſit ſaltem diſponere materiam pro recipienda anima, & facienda reſurrectione, ergo in anima non eſt vlla potentia naturalis paſſiua ad hanc vnionem.

Reſponſio.

Ego perſiſto in meis principijs, iactis ſect. 2. Theor. 1. & dico, ad maiorem: Potentiam paſſiuam naturalem animæ, quantum ad ſe ita abſolute, & ſimpliciter loquendo, poſſe reduci in actum per vires naturalis agentis, ſed non in quolibet caſu, & qualibet facta ſuppoſitione hoc eſt neceſſariũ Viſiua potentia eſt forma naturalis oculi, & quan tum ad ſe poteſt generari ab agente naturali, ſed facta ſuppoſitione coecitatis hoc non poteſt fieri, & tamen viſus eſt ſemper forma naturalis oculi, & cum redditur coeco redditur vt forma naturalis, & ad illam eſt inclinatio, & appetitus naturalis cæci Ita de anima eſt dicendum, etenim ſufficit ſemel in prima vnione animæ naturam operatam fuiſſe pro diſpoſitionibus inducendis. Hoc indicat illam eſſe formam naturalem, nunc Deus diſponit, Deus vnit, ſed facit vnionem naturalẽ, formæ cum ſua materia, diſponit miraculoſe ma-

teriam, reformando corpus, vnit animam illud animando,& post resurrectionem hoc compositũ ex anima,& corpore est naturale

In Pag. 60. Ratio Trigesima septima.

Citat SCOTVM in 1. quæ. Prologi, litt. Q. & facit rationem, omnis potentia physica passiua naturalis reduci potest ad actum, vel ab agente physico,vel ab agente supernaturali operante tamen physice. Sed ista potentia animæ non potest reduci ad actum ab vllo agente Physico, sed à solo Deo,& supernaturaliter operante, & non physice non est potentia passiua naturalis.

Responsio.

Persisto in eodem fundamento,& P. dico ad maiorem, illam esse potentiam passiuam naturalem, quæ quantum ad se, & absolute ex natura sua potest reduci ad actum ab agente physico,& physice operãte at nõ est necesse vt in quolibet casu,& qualibet facta suppositione id possit fieri. Hoc dixi iuxta Theor. 1. & 2. secundo respondeo ad minorem: in resurrectione Deum partim agere, vt causam supernaturalem, partim vt causam naturalem, reformando corpus agit vt agens super naturale,sed vniendo animam corpori iam reformato agit vt auctor naturæ,& facit vnionem naturalem, vt agens physice: in hoc enim non est miraculum,sicuti in reformatione cinerum.

In

In Pag. 62. Ratio Trigesima octaua.

Citat SCOTVM in Prologo q. 1. partim litt. A. partim C. & D. & facit rationem. Omnis potentia naturalis potest ratione naturali cognosci; sed inclinatio, & potentia animæ ad corpus denuo subeundum non potest ratione naturali cognosci, ergo talis potentia non est naturalis.

Responsio.

Ad maiorem dico illam à SCOTO negari aperte q. 1 prologi litt. D. & ita ego quoque cum eo negare possem, sed hoc omisso ego respondeo ad minorem, & nego istam inclinationem animæ separatę à nobis non posse cognosci naturaliter, & sic arguo. Forma inclinatur naturaliter in materiã, sect. 1. cap. 3. & 4. naturaliter possumus cognoscere animam separatam esse veram formam, sect. 1 cap. 5. & 7. ergo naturaliter possumus cognoscere animam separatam inclinari naturaliter ad suũ corpus, & ita iure negatur minor. Neque valet quod additur resurrectionem esse dogma fidei, & proponi, vt articulum credendum, nam recurrit sæpe tacta responsio, resurrectio est supernaturalis inuoluens aliquid naturale, vt supernaturalis est de fide, secus vt naturalis. Redeat lector ad sect. 1. cap. 6. non negaret Arist. reformato corpori animam posse vniri naturaliter; at fortasse negaret corpus mortuum posse reformari.

In

In Pag. 64. Ratio Trigesima nona.

Citat SCOTVM in 1. q. prologi litt. R. & in 1. sent. dist. 3. q. 3. litt. E. F. & sic format argumentum, anima in corpore existẽs magis inclinatur in cognoscendas substantias abstractas, quam separata à corpore ad illud denuo informandum, sed cõiuncta corpori non habet naturalem potentiam intelligendi Deum, & alia abstracta, ergo neque separata habebit naturalem potentiam, siue inclinationem informandi corpus.

Responsio.

P. nego maiorem: nam credo plus inclinari animã ad actum primum substantialem, quam ad actum secundum accidentalem, etenim melius est obtinere complementum perfectum speciei, quam intelligere substantias separatas; Secundo nego minorem, quia anima coniuncta habet inclinationẽ & potentiam intelligendi abstracta, nisi perfecte saltem aliquo modo, per hæc materialia, vt S. THOM. 1. p. q. 88. art. 2. nec negat SCOTVS in 1. dist. 3 q. 3. litt. F. nam vult obiectum motiuum nostri intellectus pro hoc statu esse quidditatem rei materialis, & inde fieri vt intelligamus quicquid in phantasmate relucere potest; sed intelligentiæ, & entia abstracta cognoscuntur per phãtasmata sensibilium; ideo anima in corpore existens habet potentiam cognoscendi separata en-

tia

tia vide Antonium Andream optimum Scotistã 2.met.q.3.§.quantum ad 3.& SCOTVM in Met. q.3. Verum est aduertendum animam separatam ad informandum habere solum inclinationẽ,& potentiam passiuam, non actinam, vt dixi sect.2. Theor. 5. sed ad intelligendum, etiam abstracta saltem per corporea dum est in hoc corpore habere potentiam actiuam,loquor non de cognitione perfecta, sed saltem de imperfecta,cum S. TH. p.p.q. 88.art.2 ad p.

In pag. 68. Ratio Quadragesima,& vltima.

Omnis potentia naturalis passiua præcedens alicuius constitutionem nititur dispositionibus physicis in materia, nata pati ab efficiente; potentia animæ ad reiteratam vnionem non est huiusmodi,quia non præcesserunt dispositiones physicæ, ergo&. & velsic;Creationẽ nulla præcedit potentia physica passiua mortuorum rrsurrectio est quasi creatio non generatio naturalis idest noua hominis constitutio miraculosa ex materia non disposita, ergo illam non præcessit physica passiua vlla potentia.

Responsio.

Ex Doctrina Theorematis primi ad maiorem sic dico,potentia passiua physica, animę ad informandum est quantum ad se apta inniti dispositionibus physicis corporis, & aliquando sic fuit innixa,

xa;vt in prima animæ vnione;sed non ob hoc est necessarium, vt semper, & in quolibet casu, & qualibet facta suppositione innitatur dispositionibus physicis,& naturaliter inductis,sufficit animam permansisse eandem,qualis erat in corpore ideo cum eadem inclinatione ; sufficit quod Deus reformet corpora miraculose,& quod illis vniat denuo animas; disponitur materia, non à natura sed à Deo,postea fit vnio . Quoad creationem autē dico , ante creationem proprie dictam non esse vllam physicam passiuam potentiam,quia fit ex nihilo;argumento eorum quæ dixit D. THOM. 1. p. q.45.art.5.secus si loquamur de creatione non proprie dicta qualis est mortuorum resurrectio ,hanc enim præcedit dispositio remota in cineribus, & proxima inclinatio in anima præter reformationem miraculosam corporis: ob quam corpus disponitur proxime ad recipiendam animam. Ita vides lector contra veritatem non posse afferri rationes validas , & pauca fundamenta vera resistere omnibus oppugnationibus. Si Dominus meus distinxisset vnionem à modo vniendi,cognouisset hæc omnia argumenta nihil concludere contra naturalem inclinationem animæ , nunquam enim probauit vnionem naturalem non posse fieri modo supernaturali in aliquo casu , & nunquam

probauit hanc vnionem non esse naturalem quoad substantiam, & entitatem suam, sed quoad modum. Fui coactus sæpe eadem repetere, excusa lector nam responsiones hoc exigebant.

Finis Tertiæ Sectionis.

PRAE-

PRAEFATIO
SECT. QVARTAE.



RELIQVVM est vt aliqua dicta, libri secundi de varia propensione rationalis animæ ad corpus, obseruem; Adducit hic Excellentissimus Dominus aliqua mea argumenta probantia esse in Anima separata inclinationem naturalem ad corpus; ea conatur soluere, uidendum est an istæ solutiones eneruent argumenta mea vt suo iure cedere compellantur, & à causa cadere: Nam si cognosces, lector, illas meas rationes adhuc viuere, & earum conatus non esse irritos, facilius fortasse tibi persuadebis Animam separatam inclinari naturaliter ad suum corpus.

Do-

Doctrina primæ, & secundæ sectionis tibi erit præ oculis habenda quandocumque eam tibi adducam; ibi iacta sunt fundamenta necessaria, accipe nunc dicta Domini mei, & examina mecum.

SECTIO QVARTA.

1 IN pag. 72. ait Dominus meus, *Animam in suo secundo statu habuisse propensionē ad viuificandū vsque ad certum tempus*. Ego in hoc contradico: Dixi sect. 2. n. 10. & latius in sect. 1 cap. 7. vide etiam discursum de morte naturali supra sect. 2. n. 11. vsque ad 15. inclusiue, & cognosces in anima nunquam deficere, neque debilitari inclinationem, & appetitum informandi, & viuificandi, consequitur enim illam, aut illi connectitur essentialiter eo quia est forma.

2 In pag. 73. negat Dominus meus *Animam separatam esse formam, & actum*. Ego dico adhuc permanere in esse formæ physicæ, & oppono allata à me sect. 1. cap. 5. & 7. illa efficacissime probant animam separatam esse veram formam, & partē essentialem, non actu informantem, sed aptitudi-

ne proxima; in summa etiam separata est anima, non angelus: esse vnibilem materię per modum actus substantialis conuincit esse veram formam: quod de Angelo negamus: videndus SCOTVS quodlib.9.litt.B. & obseruandũ quo modo loquatur de Angelo, & quomodo de Anima separata, negat animam separatam esse personam, quod de Angelo affirmat.

3 In eadem pagina 73. affertur expositio T. 2 lib. 2. de Anima. Ego dicebam, omnis substantia est aut forma, aut materia, aut compositum 2. de anima T. 2. anima separata est substantia, non materia, non compositum, ergo est forma. Respondet Dominus meus Arist. in illo T. 2. lib. 2. de anima sustinuisse personam physici, ideo sic diuisisse substantiam; De anima separata secus esse dicendum, nam ea non est ordinis physici, est immaterialis, non spectat ad physicum, ideo *substantia quædam sui generis, simplex, incorporea, per se subsistens*, neque forma, neque materia, neque compositum. Hæc Dominus meus. Ego contra insto & p. dico istam diuisionem factam fuisse ab Arist. etiam gerente personam Metaphysici vt patet 8. Meta. T. 3. & 7. Meta. T. 7. ideo non solus physicus ita distinguit, sed etiam Metaphysicus: imo ista est illa celebris diuisio quam appellãt Metaphysici in substantiam completam, 4

&

& incompletam: forma ingreditur hanc diuisionem vt substantia incompleta;& ideo etiam anima separata à corpore est substantia incompleta. Videndus SVAREZ in Meta.disp.33.sect.1. præcipue n.11.&27. Deinde sic arguo;si anima separata est substãtia ita per se subsistens,aut est cõpleta,aut incompleta si cõpleta ergo persona contra oĩum sententiam,vt ostendi sect.1.cap.5. & 7. si incõpleta,ergo vel materia;vel forma,non materia ergo forma: aut ergo dicet eam esse formam,aut completam personam, quod est omnino falsum, & repugnans omnibus scholasticis, neque obstat ponderatio Domini mei in pag.73 & 74. rationem formæ non conuenire animæ separatæ,quia *non constituit,non facit hoc aliquid,* nõ dat esse materiæ,legat Dominus meus supra sect. 1.cap.7. & videbit hæc animæ separatæ tribui quoad *aptitudinem non quoad actum,* quia enim est substantia incompleta in se, ideo vnibilis materiæ,ideo informatiua,actuatiua, & idonea ad faciendum hoc aliquid, quæ substantiæ completæ, qualis est Angelus,omnino deneganda sunt;manet ergo anima semper in esse animæ aptæ natæ informare,ideo formæ. Non recedo à determinatis in illa sect.1.cap.7.

4 In pag.75.hæc verba habentur, *Negamus formæ cuique, ac semper conuenire attributum hoc, velut es-*

seu-

tiale, quod sit completiua, perfectiua, informatiua, at ego sic insto, si animę separatæ concedatur ratio & prædicatum formæ vix est imaginabile posse illi negari ista attributa, quæ significant aptitudines, lege lector accurate probata in sect. 3. n. 4. & 6. & videbis has aptitudines esse inseparabiles; etiam si actus separentur. Quantitas per miraculum separata à subiecto adhuc est accidens, ratione inhærentię aptitudinalis citato n. 4.

5 In eadem pag. 75. citatur T. 11. lib. 2. de anima, quem etiam citauerat pag. 74. sed vere ille T. nihil ad rem nostram; solum enim hoc dicit, illa anima est à corpore separabilis, cuius potentiæ non sunt corporali organo affixæ, ita vt sint organicæ, quare esse nullius corporis actum cadit super potentias illius animæ quæ est separabilis. Hæ carent organo nam anima est semper actus corporis organici, saltem dum informat, tamen eius potentiæ aliquando non sunt actus determinatæ particulæ in corpore, quia nulli organo affixæ sunt, hoc accidit animæ intellectiuæ quæ dum informat est verus actus primus corporis organici, sed eius potentiæ nempe intellectus, & voluntas nullius corporei organi sunt actus, primo de anima 92. & 3. de anima 6. si loquamur de anima separata ipsa nullius corporis est actus *actualiter*, sed est actus humani corporis *aptitudinaliter*, & hoc

hoc habet quia est anima, etiam si separata sit a-
ctu à corpore.

6 In eadem pag. 75. adducitur argumentum, ab
Anima vegetatiua, cuius est augere, 3. de Anima
59. attamen hoc esse principium augumentatiuũ
ista anima non retinet semper, sed vsque ad ter-
minum à natura præscriptum 2. de Anima 41.
non enim augumentatur semper viuens, 1. de
Gen. 41. & 2. de anima 47. ita anima rationalis
inquit Dominus meus erit quidem suapte natu-
ra informatiua, sed post discessum à corpore, iam
hoc munere suo functa, desinet esse principium
informatiuum; quamuis retineat esse formæ, &
animæ. Hæc Dominus meus dicit. Resp. ani-
mam vegetatiuam desinere quidem augere, sed
n vnquam esse augumentatiuam: Desinit augere
ob defectum qualitatum corporearum quibus vti
debet, scilicet calidi, & humidi; His vtitur ani-
ma vegetans, ita Arist. 2. de anima 41. Alber. 1.
de Gen. Trac. 3. cap. vltimo, & de nutrimento,
& nutribili Tract. 2. cap. 1. ita Galenus Part. pri
ma, comm. Aphoris. 15. & lib. 3. de symp. causis
cap. 3. circa finem augumentum tribuit humidi-
tati partium, sed hæc est qualitas passiua, iungo
calorem actiuum cum Arist. Part. 10. Probl. 10.
quod apud Aponensem est 8. Assumo ex S. TH.
in 1. p. q. 78. art 1. animam vegetalem operari *non*

ſolum per organum corporeum, ſed etiam virtute corporeę qualitatis. Idem etiam dixit 2. de anima lec. vlt. cauſa ergo cur non augeat ſemper, ex citatis auctoribus, eſt quia hæ qualitates deficiũt & corpus ob frigiditatem & ſiccitatem ſuam redditur inhabile vt augeatur, non vt nutriatur, quod vero anima ſit ſemper in ſe & quantum ad ſe augumẽtatiua, ſic probo. Potentiæ remanent in anima tã quam in principio, ſiue radice cum efficacia eas influẽdi. augumẽtatiua eſt potentia, ergo eſt ſẽper in anima, vt in radice, & principio, cũ efficacia illam influẽdi, minor eſt nota; maior probatur ex S. TH. hoc explicite dicente 1. p. q. 77. a. 8. in q. de an. a. 19. & clarius in 4. diſt. 44 q. 3. a; 3. q. 1. in corpore, ſi ergo anima eſt ſemper augumentatiua quantum ad ſe, & ob efficaciam influendi hanc potentiam, quanto magis erit ſemper informatiua, cum hoc illi conueniat ſecundum ſuum eſſe, vt ait S. THOM. 1. p. q. 76. art. 4. ad 2. Aptitudinem informandi manere ſemper in anima, probaui ſupra ſect. 3. n. 6. Vide ibidem n. 11. & 13. non longe à fine. Ad hoc melius confirmãdũ adduco conſiderationem quæ fieri ſolet ex 1. de anima T. 65. *ſenium* inquit Ariſt. *non eſt quia ſuſtinuit aliquid anima, ſed id in quo,* quem locum Albertus declarans dicit 1. de anima Tract. 2. cap. 9. *ſenium non eſt in ſuſtinendo aliquid animam, ſed in ſuſti-*

stinendo aliquid corpus, in quo est anima, & AVVER-comm. citati Tex. 65. *non quia virtus transmutata est, & inueterata, sed quia illis, per quæ intelligit, accidit fatigatio*, &c. Desinet ergo anima augere, nõ esse augumentatiuam, Fortasse posset obijci Philoponus in 1. de Gen. comm. 101. vbi de vi augumentatiua loquens dicit illam minui, & debilitari; sed respondeo etiam ibi Philoponũ intelligere debilitatem suarum qualitatum scilicet calidi, & humidi, non autem potentiæ animæ vt sic, & colligitur ex obseruatione illius comm. 101. & exponi debet per se ipsum 1. de anima super T. 65. vbi ait *instrumenta pati non facultatem*. Sed hoc volo explicare cum Alber. lib. de morte, & vita Trac. P. cap. 3. *Vita essentialiter est ab anima in corpus, essentia igitur animæ mouẽte, nõ est impedimentum motus ex parte motoris; sed essentia de se mouet eodem modo, & in iuuene, & in sene quoniam iam scimus per ea quę in libris de anima bene considerata sunt quod si senex accipiat oculum iuuenis, videbit sicut iuuenis, non ergo impeditur motus animati ex aliqua corruptione animæ, &c.* Ex his constat animam ex se esse semper augumentatiuã, non semper augere ob defectum qualitatum corporalium, est etiam probabile potentiam nutritiuam, & augumentatiuam, in fundamento naturę non distingui, vt significat Arist. 1. de Gen. T. 41. & 2. de Gen. ani-

mal.cap.4 & sustinet Ruuius 2. de anima, de potentijs animæ vegetatiuæ q. 2. si ergo manet nutritiua manere etiam, debet augumentatiua eadẽ re cum illa quamuis non augeat semper.

7 In pag. 76. assumit Argumentum à potentia motiua, quæ in est animæ per essenriam dum informat corpus, sed in animę separatione penitus destruitur, ita poterit in eadem separatione auferri ab anima esse informatiuam. Resp. esse eandem rationem de potentia motiua, quæ erat de augumentatiua, Anima separata retinet in se potentiam motiuam, non in actu, quia vt sic esse debet in toto coniuncto veluti in subiecto, sed retinet in virtute, & in radice; p. p. q. 77. art. 8. hinc fit vt anima separata non moueat ob defectum organi sed quantum ad se sit motiua; ita deficiẽte corpore non informat, sed est nihilominus informatiua. Si quis quærat quomodo anima separata sibi retineat suas potentias, quas actu, & quas virtute; legat D. THOM. citata q. 77. art. 8. & in 4. dist. 44. q. 3. art. 3. q. 1. & videbit animam separatã nunquam amittere aptitudinem qua potest ex se influere potentias, quamuis ob defectum coniuncti; quod esse debet subiectum, non semper influat. Sol etiam non semper illuminat, quia sæpe adest impedimentum, sed semper est illuminatiuus, & est exemplum Alber. de morte, &

vita

vita Trac. 1 cap. 3. anima eſt *virtuale principium potentiarum* per S. THOM. 1. p. q. 77. art. 8. ad 3. & *de ratione animæ eſt quod ſit forma* 1. p. q. 75: art. 5. ſeparata exiſtens adhuc eſt anima, ideo forma non actu informans, ergo aptitudine. Concluſũ eſt hoc ſupra ſect. 1. cap. 5. & 7.

8 In pag. 78. contra me iactat Dominus meus paralogiſmum, quaſi ſim argumentatus in 4. terminis. Dicit ſe negare potentiam paſſiuam naturalem in anima me vero aſſerere potentiam actiuam, dum dico animam eſſe *actuatiuã, & informatiuam;* vniri enim corpori ſignificat potentiam paſſiuam, at informare, & actuare, actiuam. Reſpondeo me nec paralogiſmum commiſſiſſe, neque quatuor terminis vſum fuiſſe argumentando ſemper ſum loquutus de potentia paſſiua naturali animæ qua eſt naturaliter vnibilis; videat Dominus meus ſect. 2. Theor. 6. & 7. non conceſſi actiuam potentiam in Theor. 5. Ergo ſemper perſtiti in ſermone de potentia paſſiua animæ, vt vnibilis: leuis eſt ſcrupulus Domini mei ob illud verbum *informatiuum*, quod videtur eſſe actiuum, non enim accipitur à cauſa efficiente, ſed à formali quæ duo indicauit S. THOM. p. p. q. 48. art. 1. ad 4. & egregie Capreolus in 4. diſt. 43. q. 2. reſpondens ad Aureolum contra ſecundã concluſionem; Volo afferre, & ponderare eius verba,

ba, quæ duo docent, alterum in anima esse potentiam passiuam quatenus vnitur à Deo: Alterum ipsam informare, actione quadam non effectiua, sed formali *Animare, & viuificare non profluit ab anima tanquã à principio effectiuo, quia illud est Deus sed tanquam à principio formali*: Ecce qualem actionem dicat illa vox *informatiuum.* Deinde declarat per sui passionem peruenire animam ad informandum, *quod præsupponit actionem efficientis reducentis materiam de potentia ad actum, & facientis vnum ex materia, & forma, & coniungentis vnum alteri.* Anima ergo in hac vnione patitur ab efficiente vnionem, s. à Deo, & exercet causalitatem causæ formalis actuando materiam formaliter, & quamuis in his sit distinctio rationis, tamen realiter sunt idem ita vt pro eodem acceperint Conimb. de anima separata disp. 2. art. 1. *Respondendum animæ rationalis vnionem cum materia idem valere atque informationem, causalitatemque eiusdem in facto esse.* Est itaque in anima separata passiua potentia naturalis vt à Deo vniatur corpori ad illud informandum; ideo in se retinet esse *informatiuam*: non vt agat effectiue, sed vt actuet formaliter.

9 In pag. 79. Reassumit Dominus meus, sæpe glossatam, propositionem, videlicet, *resurrectionem esse supernaturalem*, Videat lector ea quę scripsi su-

pra sect. 1. cap. 6. & inde iudicet, quomodo sit naturalis, & quomodo supernaturalis resurrectio.

10 In pag. 80. adducitur argu. à dispositionibus naturalibus, dicens; omnem potentiã actiuam formæ respicere dispositiones naturales, &c. Iam millies dictum est, resurrectionem quoad terminum esse *naturalem*, quoad *modum esse supernaturalẽ*, ideo dispositiones reduci à Deo miraculose, postea vniri formam naturalem suæ materiæ iam optime dispositæ. sect. 1. cap. 6. Hæc consideret quicunque aut arguit, aut soluit, nisi velit se, & alios confundere.

11 In eadem pag. 80 fit instantia, quia anima reunitur corpori incorruptibili, siue glorioso, siue damnato, ad quale corpus anima non habet potentiam naturalem: at supernaturalem. Respondi ad hoc motiuum supra in solu. rationis 4. & tetigi in responsione ad rationem 20. ibi videat lector. Est hoc donum ab extrinseco proueniens non ex vi vnionis &c.

12 In pag. 82. habemus magnum assertum, eo maius quo magis est contra omnium doctrinam, nempe *Animam separatam à corpore non esse ens incompletum, & partem: ita vt ab vnione cum corpore debeat perfici*, imo sic separatam animam esse perfectiorem se ipsa coniuncta. Hæc Dominus

meus

meus. Cōtra hoc directe militant allata in sect. 1. cap. 5. 6. & 7. videndæ, & considerandæ optimorum scriptorum auctoritates vt feratur verum iudicium; Omnib. velle contradicere non caret suspicione temeritatis. Hanc ego nolo incurrere.

13 In eadem pag. 82. citatur T. 49. lib. 1 de an. iam à me explicatus supra in solutione rationis 12. illic vide quomodo sit intelligendus ille Textus 49.

14 In pag. 84. ita concludit Dominus meus his verbis; *perfectior igitur est anima post hominis obitum extra corpus; quam in corpore degens.* Ego credo esse falsam conclusionem, & scio esse contra D. THOM. 1. p. q. 89. art. 2. & ad p. & clarius quæ. De anima art. 17. ad primum; pluribus impugnata relinquitur ista assertio, sect. 1. cap. 5. & 7. vt ait D. THOMAS locis hic à me allegatis intellectus extra corpus adiuuatur quoad actum intelligendi cum intelligat expeditius, at non quoad complementum esse substantialis specifici: nam verum est quod ait S. THOM. quæ de anima art. 1. *anima potest per se subsistere, non quasi habens in se completam speciem, sed quasi perficiens humanam speciem.*

15 In pag. 85. adducitur T. 51. lib. 12. Metaph in vltimis verbis quem tex. quia sæpius repetit Do-

mi-

minus meus indicat in illo esse totum fundamentum suæ opinionis ad probandum intellectũ separatum obtinere perfectius esse, quam coniunctum. Hic T. fuit insinuatus a Domino meo supra pag. 33. & 46. in hac pag. 85. explicatur, & latissime infra pag. 93. vsq; ad 98. Hic ergo afferam considerationem & examẽ illius T. 51. nã si conuincam illius Tex. aliam esse veram intelligentiam, quam eam qua exponitur a Domino meo, ruet cum hoc suo fundamento, opinio ista, asserens animam separatam esse perfectiorem seipsa coniuncta. Verba Tex. præ oculis habẽda. *Item restat dubitatio, vtrum compositum sit quod intelligitur. Mutaretur enim in partibus totius. An omne non habens materiam indiuisibile est, vt humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet; Nam non bene esse habet in hoc, aut in hoc: verum in toto quoddam quod optimum est: aut aliud ab eo existens. Sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet.* Procedamus cum Luce nobis præstita ab expositoribus, ne erremus Mouetur ab ARIST. Quæstio de Diuino intellectu. Quam D. THOM. ibi lect. 11. sic proponit, *cum ostensum sit quod primum intelligit seipsum, aliquid autem intelligitur dupliciter, vno modo per modum simplicis intellectus, sicuti intelligimus quod quid est; alio modo per modum compositi, sicuti intel-*

ligimus enunciationem; restat igitur querendum vtrũ primũ intelligat se ipsum per modum intellectus simplicis, aut compositi. Hoc est dubium quod mouetur iu illo T. 51. eodem modo exponit ibidem ALENSIS: eodem modo ALBER. & SVESSANVS, itaque est certum hanc esse illius T. quæstionem. Pergit ARIST. & ostendit intellectũ diuinum non congnoscere componendo, & diuidendo, siue obiectum compositum per modum compositi. Nam intellectus qui intellexit componendo: & diuidendo a partibus mutatur ad totum, intelligit enim prius partes simplices priores, deinde transit ad intellectionem totius compositi: vt docetur in 3. de An. T. 21. hæc est imperfectio, quæ esse non potest in Dinino intellectu; ideo non intelligit composita componẽdo. Hoc etiam ibi expressit Alex. comm. suo 39 *si compositum est omne quod intelligitur: intellectus non momento temporis rem intelligit, sed ab hac eius parte intelligenda, ad intelligendam illam mutatur, hoc autem temporis interuallo fit, in alio enim tẽpore hanc in alio partem illam intelligit.* Et ita patet illum intellectum qui intelligit composita per modum compositorum de vno transire in aliud, cum maxima sui imperfectione, quod de intellectu Diuino non est dicendum. Pergit ARIST. *an omne non habens materiam indiuisibile est?* Dominus

nus meus explicat, *inseparabile a sua operatione*, at melius, imo simpliciter vere expositores omnes Indiuisibile, idest *simplex*, vt S. THOMAS idest *partibus vacans* ait ALEX. si intellectus Diuinus est extra materiam, ergo simplex indiuisibilis, sine partibus, ergo non intelliget se ipsum vt cōpositum, & per modum rerum compositarum. Pergit ARIST. *quemadmodum humanus, intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet:* adducit hoc per modum similitudinis, sicut intellectus humanus, & vniuersalius loquendo, mens compositorum obiectorum intelligibilium idest mens, quæ intelligit obiecta composita se habet eo tempore, quo gaudet sua perfectiore felicitate; & suo munere optme fungitur, (inquit ALEXANDER,) ita se habet semper intellectus diuinus; sed Intellectus humanus, & quilibet alius intellectus obiectorum compositorum, quādo optime se habet, & sua felicitate afficitur, non in alia temporis parte hanc obiecti partem intelligit, in alia aliam; sed in toto, simul in indiuiduo temporis, vt exponit egregie ALEX. ergo ita facit semper intellectus Diuinus; reddit rationem ARIST. cur hoc contingat tam in intellectu humano, & omni alio intellectu obiectorum intelligibilium compositorum, quando optime se se habent, & felicitate afficiuntur, quam

in Intellectu Diuino. *Nam non bene esse habet in hoc, aut in hoc, verum in toto quoddam quod optimum est.* Idest, quia bene esse, & perfectio huius intellectus non consistit in intelligendis partibus, non in hoc, aut in hoc, videlicet in singulis partibus diuisim acceptis *in ista parte vel in illa* inquit ALENSIS. Sed quod est optimum, & vere completum consistit in toto, quod simul, per modum vnius intelligitur, indiuisibili animæ intellectione vt 3. de An. 24. Ita intelligit intellectus qui perfecte intelligit: Ideo Deus intelligit *enunciabilia non per modum enunciabilium, sed per simplicem intelligentiam*, vt ait S. THOM. 1. p. q. 14. art. 14. Istud est intelligere non *in hoc aut in hoc*, idest non partem post partem non de vno in aliud procedendo, sed in toto, & in indiuiduo instanti simul, simplici intelligentia. *In toto est optimitas*, inquit ibi SVESSANVS. Addit *ARIST. aliud ab eo existens*, & est sensus, hoc optimum quod in toto est, aliud est ab eo quod est in partibus, & prius vocabatur *in hoc, aut in hoc*, nam hoc optimum est in toto, non in partibus illis, quę diuisim, & seorsum accipi possunt: quocirca bene concludit SVESS. *si intellectus Diuinus transisset de cognitione partium ad cognitionem totius, non semper fuisset in perfectione*: quia in cognitione partium, *in hoc aut in hoc* (hæ sunt partes sigil-

latim,

latim, & diuisim acceptæ, non habet bene esse intellectus Diuinus; imo neq; humanus, nam intelligendo composita, per modum compositorũ intellectus noster est imperfectus, de partibus ad totum procedendo, perfecte se habet quando intelligit composita per modum simpliciũ; siue indiuisibili animæ conceptione, in toto collectim, non in partibus diuisim. Tandem concludit illum T. ARIST. *sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet*. Hæc verba omnes intelligunt, & exponunt de Intellectu Diuino, non de humano, vt facit Dominus meus pag. 86. & 98. ALEX. *Ad hunc modum primus intellectus in omni æuo se intelligit, sine partium, aut temporis interuallo* D. THOMAS *Sed intelligentia prima, quæ est sui ipsius æternaliter, & eodem modo se habet*. ALENSIS, *intellectus autem Diuinus semper habet suam perfectionem* Eodem modo ALBER. 11 Metaph. Tra.2. cap. 30. in vltimis verbis. Intellecta vera expositione istius tex. quilibet videre potest nihil conferre ad probandum propositum Domini mei: Nam hic tex. ex professo non loquitur de humano intellectu, sed obiter adducit ad probationem de Intellectu Diuino, & non loquitur de statu animæ nostræ separatæ, sed de modo cognoscendi composita per modum compositorum, aut per modum simpli-

cium,

cium, distat ergo toto cælo a proposito Domini mei ille tex. 51. Conferas Lector hanc meam, imo optimorum expositorum explicationem, hic allatam cum interpretatione apposita a Domino meo in suo libello pag. 85. 86. & 87. & latius pag. 93. & deinceps, & videbis non concludi vnquam animam separatam in vniuerso esse aliquod totũ & integrum. Sed intellectum humanum in sua perfectione, & Deum intelligere composita non per modum compositorum. Admoneo ne recedas in illius T. explicatione a tribus approbatissimis auctoribus, quorum commentaria ibi vide, & sunt ALEX. S. THOM. & ALENSIS, ne sine illis tibi contingat errare, & illum T. extorquere violenter. Insinuatur eadem expositio in lib. 2. de Mystica Philosophia cap. 2. de perfecta intellectione animæ.

16. In Pag. 87. repetit sæpius a se dictum; esse falsum meum dogma videlicet *animam separatam esse aliquod ens incompletum, & imperfectius quam dum erat in corpore*. Vtinam ego solus falsitatis accusarer, & non mecum omnes pene Scholastici; videat Lector, & legat supra sect. 1. cap. 5. & 7. & consideret cui maior fides sit adhibenda, an vni soli Domino meo, an vniuersæ, vt sic dicam, Scholæ. Consideret qui pro nihilo habet omnibus repugnare: si ego hoc facerem timerem con-

tra

tra me temeritatis notam.

17. In eadem pag. 87. adducitur ratio ad probandum animam ſeparatam perfectiorem eſſe ſeipſa coniuncta; Perfectiores operationes arguunt eſſentiam perfectiorem, anima ſeparata habet operationes perfectiores, quam habeat cõiuncta corpori, vt apparet ex intellectione, quæ ab anima ſeparata elicitur longe expeditior, quã quando erat in corpore; Reſp. quod ſtatus animæ coniunctæ ſimpliciter loquendo eſt perfectior, at ſecundũ quid eſt imperfectior. S. TH. quęſt. de Anima art. 17. ad primum *Anima vnita corpori eſt quodammodo perfectior, quam ſeparata ſcilicet quantum ad naturam ſpeciei*. Hæc eſt ratio quare ſit perfectior ſtatus animæ coniunctæ: Tangit deinde argumentum ab intellectione ductũ: *Sed quantum ad actum intelligibilem habet aliquam perfectionem a corpore ſeparata, quam habere non poteſt dum eſt corpori vnita*. Ideo duo docet S. TH. Alterum eſt animam vnitam eſſe perfectiorem quoad eſſe ſpeciei, alterum quoad intelligendi modum eſſe perfectiorem ſeparatam. Reddit rationem, *Neque hoc eſt inconueniens, quia operatio intellectualis competit animæ ſecundum quod ſupergreditur corporis proportionem intellectus enim non eſt actus alicuius organi corporalis*. Et eſt ſenſus, intelligere conuenit ratione immaterialitatis, & ſepa-

rationis

rationis a materia p p. q. 14. art. p. ideo anima a corpore ſeparata intelligit expeditius. At complementum ſpeciei eſſe debet in vnione cum materia, in qua completur totum, vt ait S TH. in 4. diſt. 49. q. 1. ar. 4 videndus etiam D. THOM. in quæſt. de Anima art. 1. in fine corporis. *In quãtum habet operationem materialia tranſcendentem, eſſe ſuum eſt ſupra corpus eleuatum, non dependens ab ipſo*, ecce rationem quare anima ſine corpore intelligat, & expedite intelligat, Pergit S. THO. *In quantum vero immaterialem cognitionem ex materiali eſt nata acquirere, manifeſtum eſt quod complementum ſuæ ſpeciei eſſe non poteſt abſque corporis vnione.* Ob hoc complementum appetit corporis vnionem. Propterea ibi concludit S. THOMAS *animam eſſe in confinio corporalium, & ſeparatarum ſubſtantiarum conſtitutam*, cum ſeparatis mẽtibus conuenit, quia ſine corpore eſſe, & intelligere poteſt, cum corporalibus, quia complementum ſuæ ſpeciei habere non poteſt niſi vnita corpori. Vide etiam reſponſionem ad rationem 12. & ibi notata.

18. In eadem pag. 88. aſſeritur *animam ſeparatam eſſe omnino immobilem*. Dixi in ſolut. rationis Decimæ quomodo anima ſeparata ſit mobilis, ab ibi dictis hic non recedo.

19. In pag. 89. quærit Dominus meus *quam perfectionem*

ctionem accipiat anima, per vnionem cum corpore. legat si illi placet sect. 1. cap. 5. 6. & 7. videat responsionem ad 2. rationem, & ad 12. & cognoscet qnantam perfectionem anima separata nanciscatur ex vnione cnm suo corpore.

20. In eadem pag. 89. tangitur motiuum de animabus damnatis quæ non videntur appetere reassumptionem suorum Corporum: At respondi iã in solutione rationis 25. ibi legenda responsio.

21. In pag. 90. fatetur Dominus meus animas separatas beatas desiderare sua corpora, non appetitu naturali, sed supernaturali, nempe ad augumentum gloriæ supernaturalis. Verum legat Dominus meus responsionem ad suam rationem quartam, & cognoscet inclinationem animæ separatæ esse ad naturale complementum speciei, & ad terminum naturalem; legat in sec. 1. totum cap. 5. & cognoscet hunc appetitum specificari a suo primario termino scilicet ab esse totius, & complemento speciei: Gloria est aliquod consequens non dat speciem huic appetitui: placeat quæso illi legere in dicto cap. 5. n. 6. 10. 19. 21. & apparebit nunquam fieri mentionem gloriæ, sed semper vnionis naturalis, & ipsius esse naturalis complementi speciei. Vanum est ergo hic velle permiscere desiderium supernaturalis gloriæ, cum habeamus terminum naturalem.

22. In eadem pag. 90. & 91. negatur animam *separatam esse partem*, & asseritur *esse totum quid integrum sui generis, &c.* Ad hoc confutandum dogma a me positum fuit in sec. pr. cap. 7. in quo ita euidenter hoc fuit reiectum, vt confidam, nec D. meum amplius defensurum hoc suum dogma, nisi velit sibi soli plus credere quam omnibus alijs celebratissimis scriptoribus; ab illo cap. 7. ego nunc non recedo.

23. In eadem pag. 91. & 92. vt probet partem a toto separatam non amplius esse partem, sed fieri totum, & integrum, accipit Dominus meus argumentum a partibus integrantibus, vt a ramo a planta auulso, & a parte lumbrici, &c. Sed hæc omnia confutantur per doctrinam SCOT. & SVAREZ allatam in sec. pr. cap. 5. n. 12. ad 16. Nos loquimur de parte essentiali, non de integrante. Deinde obseruo animam in ramo auulso, & in membro lumbrici, semper esse partem, nempe formam; concedo illud compositum essentiale ex anima, & corpore quod prius erat pars integralis totius plantæ, vel animalis nempe ramũ vel membrum, postea per diuisionem, & separationem a toto fieri aliquod totum, per se subsistens, vt etiam dixit AVERR. 4. phys. C: 32., sed hoc nõ contingit vnquam parti essentiali, qualis est Anima quæ semper manet pars, sed

lega-

legatur illud cap. 5. in citatis numeris, & clara erit veritas; ita confutantur dicta a *Domino* meo pag. 99. nam semper accipit pro medio partem integrantem.

24. In pag. 93. vt probet animam separatam possidere esse perfectius, quam haberet coniuncta, & esse non *amplius partem*, sed transire in *esse integrum*, *& fiens completum* redit ad T. 51. lib. 12. Metaph. quem supra, innuerat pag. 33. & 46. explicauerat pag. 85. & hic fusissime prosequitur; incipiens a pag. 93. vsq; ad 98. & ad finem totius cap. quinti. Mihi ea sunt satis pro veritate, quæ supra attuli hac sect. 4. n. 15. Curiosus, & eruditus Lector conferat expositionem a me ibi allatam, desumptam ex fonte, & authentico decreto meliorum expositorum cum ista *Domini* mei, quam illi subministrauit tantum propria speculatio: Certe scio ad fundandum dogma quale est hoc *Domini* mei non sufficere sic interpretari ARIST. cum in luce expositorum sit veritas manifesta, nam ita nouiter excogitata qua facililitate dicuntur, eadem etiam negantur, præcipue quando constat ex melioribus quæ sit vera expositio alicuius Textus.

25. In pag. 100. reassumitur argumentũ sœpe supra insinuatum, si anima remanet pars, & ita inclinata ad aliam suam compartem, ergo etiam cor-

pus cadauerosum inclinabitur ad animam; cum etiam cadauer sit pars. Respondi supra sæpius; in Theo. 4. iactum est fundamentum; in cadauere, &cineribus est potentia remota solum ad animam; In Theo. autem 6. & 7. iactum est aliud fundamentum, nempe in anima esse potentiam proximam, passiuam tamen, hęc asserui ex grauissimis auctoribus; & vsus fui his fundamentis sæpe supra vt in solut. rõnis 2. 15. & 19. non ergo illorum duorum est omnino par ratio. pro disparitate vide D, THOMAM in 4. dist. 43. q. 1. art. 4: q. 3. ad 2:

26. In eadem pag. 100: vt probet in cadauere nullam esse potentiam naturalẽ ad animam affert argumentum nam cadauer nunquam a physica causa ad actum animæ reducitur, si haberet potentiã naturalem vtique reduci posset ad actum a causa naturali; Ad hoc tollendum ego prius statui, primum Theorema, videat Dominus meus, præcipue in n: 2. & postea iudicet. Adhibui hanc doctrinam soluens plures rationes, vt 11. 16: inspiciendus est actus in se, & vt sic an per suam naturam possit naturaliter acquiri, si est de genere eorum quæ per naturam comparari possunt, est actus naturalis, ab extrinseco facta suppositio remouet potentiam actiuam, & acquisitionem modo naturali, sed non connaturalitatem actus:

Et

& potentiæ, quod optimo exemplo cæci illuminati, & visus, explicaui in Theor. P. n. 2. vtile erit etiam ad hoc videre Theo. 2. totum.

27. In eadem pag. 100. fit aliud argumentũ si pars naturaliter in suum totum inclinaretur sequeretur vt gleba terræ naturaliter appeteret vniri suo toti, etiam si gleba esset in centro, & reliqua terra in concauo Lunæ, quod tamen est contra ARIST. 4. de cælo 22. Respondeo & primo dico hoc argumentum esse de parte integrante, nostram quæstionem esse de parte essentiali, & notaui supra in hac sect. 4. n. 23. Deinde dico motũ localem attendi penes *similitudinem, aut dissimilitudinem continentis*, non contenti per AVERR. 4. phys. comm. 43. & comment. 67. *causa in diuersitate motuum est diuersitas naturarum locorum, et naturarum rerum motarum* parum ergo refert si cõcauum Lunæ repleatur terra, vt propterea illuc feratur gleba terræ, nam ille est locus præternaturam rei graui, & res naturales feruntur in loca sibi naturalia 4. phys. T. 30. & 4. Addo quamuis pars integralis appeteret vniri suo toti, tamen nunquam vniendam esse si obsit loci, aut motus innaturalitas, argumento eius quod dicit ARIST. 1. de cælo 79. Terra enim quæ in alio mundo esset, inclinaretur vt ibi dicitur in nostrum centrum, sed nunquam ad illud moueretur, quia

obstaret

obstaret motus violentia. Bene ait AVERR. 3. Phys. com. 52. partem terræ quærere eundem locum quem querit tota terra tota qu̧erit centrũ, ideo & pars terræ; desiderat fortasse vniri toti at non potest naturaliter nisi in loco sibi naturali, & per motum sibi naturalem: & hoc etiam cognouit AVER. P. de Cœlo Com. 58. *pars mouetur ad totum, non secundum quod est totum, sed secundum quod est in suo esse naturali, & locus totius corporis, & partis est idem.* Et si placet ita poterimus arguere, ex aliqua proportionali similitudine. Pars terræ desiderat vniri toti terræ, at nũquam vnietur nisi remoueantur ea quæ impediunt vnionem, vt innaturalitas loci, & motus, ita anima separata appetit vniri corpori, sed nunquam vnietur, nisi remoueantur ea qu̧e impediunt vnionem, scilicet indispositiones cadaueris: eas vero remouet Deus modo supernaturali, reformando corpus, vt inde sequatur vnio naturalis secundum suam substantiam; ita ad propositũ duci potest ratio allata a Domino meo.

28. In eadem pag. 100 sic concludit Dom. meus, *non ergo pars quælibet in natura naturalem habet propensionem ad totius integritatem restaurandam*: Dico de parte integrante posse assertum esse verum, sed de parte essentiali, præcipue formali, esse falsum; iuxta determinata a me se sect. P. cap. 5.

a n. 12. ad 15.

29. In Pag. 101. asserit Dom. meus Physicam propensionem ad corpus non consequi animam in 3. statu, quando est a corpore separata, sed cũ ea fuisse in primo, & in 2. statu solum. Confutatur hoc per doctrinã supra allatam sect. 1. cap. 5 ex melioribus Scholasticis, tam antiquioribus quam recentioribus. Doctrina etiam cap 6. in illa sec. prima optime ad hoc confert repellẽdum; Illa videantur.

30 In pag. 102. conatur probare Dom. meus aliquando cõtingere vt per diuisionem alicuius totius in partes non remaneat eadem potentia in partibus, imo corrumpatur; & citat T. 44. lib. 8. Phys. præcipue in illis verbis, *si vero diuidatur non vlterius esse eandem habens potentiam*, itaque anima rationalis coniuncta habebit propensionem ad corpus, separata, & ab eo, vt sic dicam, diuisa, amittet. Sed responsio est in promptu, ille tex. 44. loquitur in casu quando per diuisionem quanti corrumpitur forma, vt patet quando diuiditur minimum physicum, iuxta determinata ab ARIST. lib. de sensu cap 6. in fine, & ab AVER. 4. phys. com 72. aut quando animalium perfectorũ membra separantur a toto, vt pes ab equo, tunc perit in pede diuiso forma scilicet Anima, vt notat ex D. TH. Caiet. in p. p. q. 76. art. 8. cum

ergò

ergò ob diuisionem corrumpitur forma potentia etiam destruitur, vt obseruat S. THOM. in 8. phys. lect. 11. super illum T. 44. sed in casu nostro diuisio, siue separatio animæ, a corpore non destruit formam, nam anima remanet in eadem natura, & proprietatibus quas habebat coniuncta, vt dixi sect. P. cap. 5. & probaui præcipue n. 20, & 21. quocirca valde distat nostra disputatio a determinatis in 8. phys. T. 44.

1. In pag. 103. de anima separata dicitur, *In Tertio statu post mortem hominis non amplius habet essentiam talem quam consequatur eadem naturalis potentia*, &c. Iam probatum est sec 3. n. 2. hanc propensionem esse animæ essentialem saltem sicuti est propria passio, permanente ergo essentia animę non potest deleri ista essentialis inclinatio, ita loquuntur omnes graues auctores citati dicto n. 2. & sect. 1. cap. 5. 6: & 7: vbicunque, & quomodocunque ponatur terra semper habet grauitatem, & inclinationem ad suum centrum 1. de cælo 79: nec mirum quia manet eadem forma P. de cœlo 81. & per S. TH. 1; p: q: 76: art: P: ad 6. anima separata inclinatur ad corpus vt leue sursum. Nec verum est quod dicitur in pag. 102. materiam ad formas suas corruptas non retinere potentiam, de quo videat Dominus meus sect. 2. & ex ibi allatis ferat iudicium: videat etiã

Theor. 4. & cognoſcet in materia remanere potentiam ad formas in ea corruptas. Nec vllo modo approbandum cenſeo quod hic dicitur in pag 103. & 104. *Non eandem prorſus eſſe naturam, & eſſentiam animæ rationalis per mortem a corpore ſeparatæ quæ fuit prius, &c.* o quam melius loquuntur ſapientes a me citati ſec. pr. cap. 5. 6 & 7. Caueamus ne ſcandalizemus ignorantes, nam ſi audiunt animam rationalem ſeparatam non habere eandem *naturam*, *& eſſentiam* quam habebat prius coniuncta, ſuſpicabuntur in morte hominis variari animæ eſſentiam, cum aliqua ſpecie corruptionis eiuſdem animæ, quod eſt nefas opinari. Nam mutare eſſentiam eſt corrumpi, credēt fieri Angelum, aut Dœmonem, quod eſt Hæreticum aut nimis Platonicum. Manet ergo eadem animæ natura. Semper eſt vnibilis anima, ſemper in vnionem propenſa, quia ſemper Anima ſemper forma, & pars humanæ ſpeciei. Non eſt mutata anima ſubſtantialiter per ſeparationē a materia, nec etiam mutauit naturales inclinationes vt probaui citata ſect. pr. cap. 5. 6. & 7. amiſit tantum modum actualis vnionis, non aptidinem, neque inclinationem, Naturalia non mutantur eadem natura incorrupta permanente.

32 In pag. 106. de D. TH. ſententia eſt valde ſollicitus Dominus meus, adducit in S. Doctore

ſcrupulum contradictionis apparentis. Sed verè nihil huiuſmodi de D. TH. ſuſpicati ſunt vnquã viri Doctiſſimi. Semper ſibi conſtitit S. TH. perpetuus defenſor naturalis huius inclinationis. Videat qui verum noſſe quærit meam ſect. pr. cap. 5. 6. & 7. & reperiet *D.* TH. perpetuũ aſſertorem huius veriſſimæ ſententiæ. Ideo dixit reſurrectionem eſſe naturalem, ſecundum finem, & ſecundum terminum; ſupernaturalem quoad principium actiuum, & quoad modum: Reformantur cineres miraculoſe, vnitur naturaliter anima corpori iam reformato, & iſta vnio eſt naturalis quo ad entitatem vt prima fuit vnio in conceptione; ſed ſuperfluum eſt repetere diffuſe probata in ſect. 1 & 2. illa legenda; in quibus elucet doctrina optimorum ſcholaſticorum, præcipue D. TH Apparens contradictio ſoluitur; quia hic eſt aliquod naturale, & aliquod ſuper naturale. Penes ita diuerſa, diuerſo etiã modo loquitur S. TH. nec ſibi contradicit.

33. In pag, 109. repetitur quod iam fuit dictum in ratione quarta, iſtam inclinationem non eſſe naturalem, quippe terminandam ad vnionem incorruptibilem, & ad hominem immortalem quales erimus poſt reſurrectionem, ideo non futurũ terminum pure phyſicum, ſed potius ſupernaturalem, nempe hominem immortalem. Reſp.

in

in solut. rationis 4 illuc mitto Lectorem. Immortalitatis donum extrinsecum non mutat speciem naturalem hominis. Addo S. BONAVENT. in 4. dist. 43 Art. 1 q. 4. *Status mutari potest, vnitate secundum numerum remanente, hinc est quod ex mortali fit immortale, sine diuersitate substantiæ.* Illud esse immortale est donum ab extrinseco super additum, non variat speciem ipsius esse humani, ideo anima habet, quod naturaliter desideret, scilicet suam speciem, & suum humanũ esse. TERTVLL. in lib. de Resurr. carnis, *Reuestitos voluit intelligi eadem substantia qua fuerant spoliati.* Hanc substantiam appetit anima separata. NYSSENVS in funere Pulcheriæ, circa finem *Resurrectio est naturæ nostræ in pristinum statũ reparatio*, & in disputatione de Anima, & Resurrectione, *Resurrectio est naturæ nostræ in antiquum statum restitutio.* Hanc restitutionem appetit naturaliter anima separata. ORIGENES lib. 2. PERIAR. cap. 10. ait nos in eisdem corporibus esse resurrecturos, at per gratiam mutata qualitate mortalitatis, dixi *qualitate* non *differentia mortalitatis*, quia vt bene obseruat ANSELMVS lib. 2. cur *Deus* homo cap. XI., non pertinet ad *sinceritatem, & veritatem humanæ naturæ corruptibilitas, siue incorruptibilitas*; natura quę prius erat corruptibilis, facta deinde per gratiã

incorruptibilis; eodem naturali desiderio potest appeti ab anima; species eadem est. AVGVST. Enchiridiom cap. 91. *quantum ad substantiam tūc caro erit* ergo naturaliter ab anima appetibilis, quia caro humana D. GREGOR. 14 moraliū̃m cap. 31. *In illa resurrectionis gloria erit corpus nostrū̃ subtile per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ*. Ista veritas naturæ naturaliter desideratur ab anima separata. AMBROSIVS in Acephalo lib. de fide resurrectionis: *quod ergo in homine moritur, hoc & viuificatur*, sed moritur natura ergo, & viuificatur natura, quæ naturaliter desideratur. DAMASC. 4 fidei cap 28. *resurrectio est secunda eius quod cecidit erectio*, & paulo post, *ex quo efficitur vt illud ipsum corpus quod interit, ac dissoluitur, tandem interitus expers ad vitam rediturum sit*. Ex his apparet habere animam separatam quod appetat naturaliter, videlicet suæ naturalis speciei complementum, cum dono accidentalis immortalitatis à Deo restituendum. Sed vide solutionem rationis 4. & huc etiam applica.

34. In pag. 112. tangit nescio quid de corpore primi hominis luteo, ad quod anima rationalis non habuit, inquit Dom. meus, potentiam naturalem, similiter neque ad corpus mortuum denuo subeundum: De hoc referam id quod docet S. TH.

1. p. q.

1. p. q. 91. art. 3. in corpore. *Deus instituit corpus humanum in optima dispositione, secundum conuenientiam ad talem formam, & ad tales operationes.* Quocirca dicendum credo Deum in illo luteo, & terreno corpore formasse tale temperamentum quale animæ erat debitum, & ita animam habuisse inclinationem naturalem ad illud corpus, sicuti habet ad corpus quod ex semine generatur, nã quales dispositiones in hoc corpore facit natura, in illo fecit Deus, & ita dicendum de corpore mortuo ad vitam restituendo, a Deo disponitur, & reformatur prius, postea animatur, vt dixi sect. 1. cap. 6. n 5. & 6. De corpore primi hominis legi potest ALENS. parte 2. q. 80. memb. 1. *fuit in illo tota veritas quæ congruebat naturæ corporis humani.* Ideo ad illud potuit naturaliter inclinari anima, idem est dicendum de corpore mortuo, quando est reformatum ante resurrectionem, est enim reformatum, & factum proxime idoneum ad animam suscipiendam.

35. In eadem pag. 112. loquitur Dominus meus de specificatiuo mutationis, & dicit tria, Pr. mutationem naturalem specificari a termino ad quẽ, vt significauit ARIST. 5. phys. 4: & 48: 2: mutationem artificialem specificari a principio, & inde denominari, & adducit ARIST. 2. phys: T. 14: 3. mutationem etiam supernaturalem esse

se specificandam a principio nō a termino: quia quamuis habeat terminum naturalem tamen vocatur supernaturalis ob principium supernaturale, vt fuit productio primi hominis, cæci illuminatio, creatio cæli, & terræ, & motuorum suscitatio, termini sunt naturales, sed mutationes supernaturales, Ego de hoc ita dicendum puto. Primo omnino cōcedēdam credo illam primam propositionem, mutatio enim naturalis accipit speciem a suo termino ad quem, & præter duos illos Tex. ARIST. nempe in 5. phys. T. 4. & 48. etiam habetur in 5. phys. T. 31. & est expresse S. TH. q. 6. de potent. art. 8. *Proprie actio, sicuti motus, a termino speciem habet; a principio autem habet proprie quod sit naturalis*. Et patet quia si sint agentia diuersarum specierum, & producant terminum eiusdem speciei, actiones illæ erunt iudicandæ vnius speciei, vt si calor ab igne, & a Sole producatur, erit amborum agentium calefactio eiusdem speciei; & si terra, & ignis ferantur sursum ad eundem terminum, motus erunt eiusdem speciei ob vnitatem termini, licet alter sit naturalis, alter violentus per habitudinem ad diuersa principia agentia: quorum alterum videlicet in terra est extrinsecum violenter mouens, alterum igne intrinsecum mouens naturaliter. De 2. dicto Domini mei quoad mutationes artificiales

dicer

dico eandem esse rationem; & in hoc contradico Domino meo quia omnes illę actiones a termino specificantur: quare inductio sanitatis facta ab arte, & facta a natura, si habeant eundem præcise terminum, erunt eiusdem speciei, vt bene obseruat SVAREZ disp. 48. sect. 3. & falsum est omnes motiones artificiales specificari a principio, nam ædificatio denominatur, & specificatur ab ædificio vt a termino, & hoc obseruauit etiam PICCOL. in 2. phys. in expositione illius T. 14. Nec obstat quod ibi ARIST. appellat à medico medicationem, non sanationem a sanitate, quia medicina est ars coniecturalis, & incertũ est an sit sanatura, vt significat ARIST. 1. Rhet. cap. 1. in fine, ALEXAN. 2. naturalium cap. 16. & innuit de artibus coniecturalibus SENECA Epist. 85 circa finem, quia ergo est certum curationem medici esse medicationem, non est certum futuram sanationẽ, ideo illa actio dicitur medicatio magis quam sanatio: nam principium est certum, terminus incertus. Ceterum si vere sanet erit sanatio eiusdem speciei cuius est quælibet alia sanatio. Addo etiam Medicationem denominari a principio sed in ordine ad terminum, scilicet ad sanitatem, nam si Medicus ex arte, & sponte adhibeat medicamenta ad occidendum vt in casu 8. phys. T. 8. illa actio non ap-

pella-

pellabitur Medicatio, quamuis sit actio medici, vt medici, siue ex arte; semper itaque actio, etiam artificialis, specificatur a termino, & per ordinem ad terminum quē producit. Quoad 3. Dictum Domini mei de actionibus supernaturalibus dico, cum SVAR. citata disputatione 48 sect. 3. n. 10. eandem esse rationem, & specificari a terminis, nam si idem sit præcise terminus in specie, & ab vna causa producatur super naturaliter, vt a Deo, ab alia naturaliter, hæ duæ actiones erunt eiusdem speciei, ob vnitatem termini, neque refert quod earum altera actio sit supernaturalis, alia naturalis nam istæ rationes acceptæ per ordinem ad agens non variant speciem actionis: si terminus omnino sit idem. Sufficiat hic citasse SVA. qui abunde hoc declarat dicta disp. 48. sec. 3. n. 10. Ideo ista reiterata vnio vocatur naturalis secundum substantiam, ob terminum naturalem vt dixi sect. p. cap. 6. & sect. 2. Theor. pr. in fine; supernaturalis quoad modum. Ita omnis motus sursum est vnius speciei, ob vnitatem termini, quamuis alius sit motus naturalis vt ignis, alius violentus vt terræ, sicut notat *FERR.* in 5. phys. q. 4. ad 2. ista non variant speciem, quia accipiuntur per ordinem ad agens nō ad terminum.

36. In pag. 114. dicitur esse posse potentiam alicui

con-

congenitam, quætamen non sit naturalis: qualis est in igne potentia vt deorsum violenter feratur, ita poterit dici de potentia animæ ad subeundum corpus, quamuis sit congenita, non propterea esse naturalem necessario. Pro responsione in primis obseruo cum ARIST. 5. met. 17. posse pati violenter, & in deterius, non appellari potentiam, sed impotentiam, vt dicit ibi ALEX. com. 21. est impotentia in igne detrudi deorsum quia ignis non potest resistere detrudenti se ad inferiora ideo sic mouetur impotẽter, & ex S TH, 1. p. q. 9. art. 2. hęc posset dici potius potentia in alio quam in igne, quia sic mutari potest ob potentiam in deijciente; Habet etiam terminum sibi violentum, locum deorsum Ideo ad hunc motum non est potentia naturalis. Sed in anima separata res aliter se habet; nam ipsa ab intrinseco inclinatur ad corpus; & terminum respicit sibi connaturalem, videlicet humanam speciem, & eius complementum: ideo nõ est par ratio; & si aliquod violentum in anima separata volumus concedere, erit potius esse a corpore seiunctam, quam ad corpus inclinari; vt dixit S. TH. 4. contra Gentes cap. 79. *Anima corpori naturaliter vnitur, est enim secundum suã essentiam corporis forma, est igitur contra naturam animæ absq; corpore esse.* Et in p. q. 118. art. 3. *si*

animæ est naturale corpori vniri, esse sine corpore est sibi contra naturam, & sine corpore existens non habet suæ naturæ perfectionem. Quę determinatio D. TH. si alicui videtur esse nimis rigorosa, temperet illam cum explicatione recentiorum, præcipue RVVII Tract. de Anim. sepa. q. 6. *status separationis non est naturalis animæ ex inclinatione, sicut status informationis, etenim status informationis est per se primo animæ naturalis, status separationis, quasi per se secundo, & ex consequenti.*

PERORATIO.

Habes, Lector, ea quæ pro dilucidanda hac disputatione mihi visa sunt eße satis; non ero longior, nam ex Plutarcho, Oratio esse debet rebus æqualis. Retuli Doctorum placita, vt scias quæ sit tuta veritatis via, illa videlicet quam omnes approbant quam nemo ex probatis reprobat. Distingue quod est naturale, ab eo quod est supernaturale, et ita cognosces cui tribuenda sit potentia obedientialis, cui naturalis propensio Socrates in Platonis Eutidemo captiosas rationes non nisi distinguendo, soluit.

FINIS.